
M. 5

Pegelio the=
saurus rerũ

Italice lo=
quenda e di=
versis au=
thoribus

10 Bis






2,199

Thesaurus rerum selectarum magnarum, dignarum, utilium, suavium pro generis humani salute oblatus

Authore

magno Vergilio Germano Megapolitano Rostochiensi

Vana vel impossibilia ne pronuncientur, media haud perspecta.

Tu meliora.

Fronte capillata est, post occasio calva.



Rostochii
Typis haec expressa anno 1604.

Notatu digna ex praecedenti libro collecta

lignu perdurabile p. 61 | Quomodo lignum perdurabile reddi et prae situs mutatione conservari quam maxime possit, ne tempore et ab aeris diversa temperie vel aliunde sit afficiatur, sed instar metalli quasi permaneat. Quae res non levis momenti in instrumentis et alijs fuerit, cum lignum etsi siccissimum a situ pristino multum discedat. etc.

Morboru trāsplātatio p. 103 | Morbi complures qui ex homine in bruta derivandi.

~~Pierre Mocquillon~~

Ex scripto Thesauro rerum.

De vita proroganda p. 115

Vt vita diutius et suavius producatur admonitiones et cautela quaedam hucusque haud sic cognita vel considerata

---

Moribundi sanatio. p. 115.

Aegroti tales et quasi moribundi illi in quibus spes vitae superest, quomodo vt vivant, sine dubitandi. Et qui procedendum cum plane desperatis et animam agentibus vt hi minus animo angantur et post minus afficiantur.

Brutorũ mactatio salubris p. 115

Bruta ne mactando vt fit miserè excrucientur, sed vt dolorum nihil sentientes momento tollantur, et vt inde nobis salutaria et sapidiora suique suaviora evadant; cum alias et in primis quaedam bruta quasi morbo quodam revera gravissimo hinc mo=~~rientur~~ riantur.

Fornacũ calefactio p. 118.

Fornaces, vanni, pelues etc vt validius et citius incalescant et calefaciant, vt etiam calorem semel conceptum diutius et et fortius retineant et impertiant.

Candelae accensae remissio. p. 120.

Medium exiguum hoc agens vt Candela vtcunque vasta seu multum lucens et sic materiae nimium insumens, te non praesente seu non agente seu undecunque nolente quantum omnino et quam parce velis ardeat, eoque diutius perduret; et mox iterum quandiu et quoties volueris vigori suo vel cuicunque velis restituatur.

Incendiorũ extinctio. p. 120

Incendiis qui succurrendum (in primis a Magistratu) sic vt ignis restinguatur; vtque ex igne etiam ipso et homines et bruta et alia eximantur: quorum mediorum vno alias etiam in locum quemcumque domus seu altum seu humilem absque transportatione Aqua mox derivatur.

Fons perdurans p. 123 et 24.

Illustre et perpulchrum Aquae spectaculum, quo dato vel effecto Aqua casu quocunque puta vel spithamae vnius etc, Aqua ea eadem omnis ne gutta quidem dispendita in quamvis vel summam

(quod susque

Ex Vegelij Thesauro rerum.

(quod hucusque desque est) altitudinem, per se ipsam et in fistula sic unica ascendit superiusque in aerem vitro praeclaro inclusum per se itidem continue effunditur. Si etiam et quotiescunque redeunte sponte itidem et in momento effluxus recurrit.

Qui Aquae superior effluxus omnino et per omnia Motus quasi perpetuus apparet, et mirabilis atque aspectu iucundus occurrit: Sicut etiam causa aperta Semper-mobile aliquod hinc dici prima fronte putatur. Et Aquae susurrus auribus speculationi et somno conciliando sese offert exoptatus. Opera etiam una in diversis quibuscunque locis et altitudine quavis vel diversa vel aequali Aqua praedicta una et eadem se effundit. Qua ratione paululum immutata lavacrorum forma minore construi potest, quod dum manus lavantur speciem exhibet venustum. Pisciculi etiam ibidem vivere et conspici suaviter possunt.

---

liquorum variorum eductio
p. 125.

Ratio amoena et spectanti plane miraculosa, qua ex vasis vnius huiusque vulgari modo repositi vel etiam si velis libere plane suspensi, per fistulam unam et quidem in loco quam vas sit superiori liquores quotcunque diversi quotiescunque volueris (vas licet accedas seu tangas numquam) effunduntur. Ut quivis inde vinum nunc rubeum nunc candidum, nunc Aquam nunc aliud liquoris quodcunque velis genus, imo calidos et frigidos si velis liquores seu simplices seu inter se mixtos vel etiam quoties volueris nihil plane depromere valeas: Omniaque pro arbitrio tuo seu etiam cogitato procedunt. Sique alteri cuiquam potestatem concesseris tandem, idem is poterit in omnibus vel in quibuscunque tu volueris quando et quamdiu tibi visum fuerit.

Ex Sigilli Thesauro rerum.

perutile navigium. p. 127. et 28.

Navigium Submaritimum Sive Subaqueum Singulare et administratio illius admiranda qua Sub Aquis, Mari, Fluminibus Stagnis Seu magis Seu minus profundis Seu tranquillis Seu motis et agitatis et vivere et respirare et pro libitu quocunque Se promovere Seu progredi corpore Sicco et Aere undique circumdato pedibus per Maria Seu aquarum profundum perinde Sicut alias per Terram Siccam et liberam incedere vel unus vel duo vel complures et quotquot pro Machinae magnitudine voluerint poterunt, imo et navigare Subtus utrumque licebit. Quomodo ibidem necessaria et exoptata peragentur qualia Sunt Murorum et Aedificiorum erectio; Aquarum dulcium in fistulis metallicis vel ligneis vel in laterum et lapidorum compagibus maioribus per Mare et Aquas quascumque deductio, vitiique si quod temporis Successu acciderit deprehensio et correctio, aliis Simul hic accidentibus medijs: Sic fundi et terrarum illius omnimoda perlustratio, rerumque non tantum annorum Saeculis Submersarum recuperatio Sed ibidem etiam genitarum vel eodem devolutarum utpote Auri Argenti Margaritarum Succini et Similium inquisitio. [Experiri etiam fodiendo Sic poteris num alia Succi metalla, liquores, vel res aliae quaecumque interius et Subtus lateant: num Sub Aquis Salsis dulces Sub dulcibus Salsae deprehendantur.

Flamma seu ignis continuus p. 139

Quomodo Ignis perpetuus Seu flamma permanens dari possit.

Aeris collectio et conservatio p. 109.

Modus plane facilis Aerem et aerium quodcumque etiam illud quod per ipsam corporum quorumcunque Substantiam et essentiam ipsam Seu per minima transfunditur et alias

latitat

latitat, adeoque Spiritum corporeum quemcumque nullo excepto necrelicto ex Animalibus, Plantis, Lignis, Lapidibus, Aromatibus, Aeris et ex corporibus quibuscumque, eorum partibus quibus inest plane et per omnia eliciendi, et purum seu solitariū et per se sine metamorphosi et mutatione ulla colligendi et conservandi, absque igne ullo et similibus medijs.

---

vaporū chymicorū aliorūque conservatio

p. 109.

Quomodo Aer seu halitus seu vapor seu chymicus seu alius quicumque undecumque factus conservatur salubrius. Sic aer ille qui infra Aquarum et Maris fundum tantisper delitvit acquiritur et qualis se servatur.

Aeris usus varius.

p. 109.

Et prædicta quidem omnia et singula sic habent, ut Aeris huius seu Spirituum quorumcumque sic acquisitorum et conservatorum operationes. Sed quid hoc Aere quocumque et in hoc ipso etiam possit, varié experiri hinc licebit: tum Spiritibus varijs et per se relictis et pro libitu mixtis tum corporibus hinc inde alijs varijsque actionibus et applicationibus.

Aer medicus

p. 109.

Quomodo vice Medicamentorum et aliorum corporum sic intro sumendorum etc. tum alias etiam Aere tali sive consimili, recto in primis respirato, morbis et affectionibus hinc inde multis subveniendum, vel insuper Sanitas perfectior hinc introducenda veniat.

Respirationis restitutio.

p. 110.

Media hucusque incognita Respirationi et denegatæ et deficienti succurrentia: Anhelitum et validum et remissum et subitum et tardum pro libitu et necessitate introducentia; si medijs his ipsis regulariter seu ut plurimum ante præparatis instructus fueris. Quæ remedia proveniunt ex Respirationis et causa instrumentali vera et causa finali vera etc. utrisque item hactenus ignoratis, et fictitijs falsis causis substitutis.

Caloris æstivalis ablatio. p. 110.

Quomodo æstatis ~~tempore~~ fervore et tempore quocunque locus quicunque frigefieri possit pro ægris, Magnatibus, et aliis hoc expetentibus.

Chirurgica adiuvatio. p. 111

Ratio chyrurgica insignis et mira homini communicans Externa quæ ipsi bona, et Interna multa quæ noxia auferens. Quæ etiam ratio alias varia agere et alterare in homine potest.

---

dolorū Chirurgicarum amotio. p. 111.

Ratio partem Corporis noxiam seu quæ tollenda est, sine dolore et affluxu amovendi et consolidandi.

Affectuū variatio p. 111. et 12.

Modus omnino singularis item hucusque plane incognitus quo plurima et insperata in homine toto eiusque partibus effici possint, sic ut bona acquirat et noxiis privetur: sicut et reipsa revelata mox percipitur et unde sequentia in primis postrema quatuor res ipsa docet per experientiam in usum trahenda.

I.o Animi hominis et præcipue voluntatis et affectuum (et de sententia recepta et magis de reipsa et veritate alias) mutatio: sic ut qui Magnanimus seu Animosus, excitatus, sedatus, placidus, benevolus, bonus, hoc aut illo modo affectus reddatur. Ut alterius virtus bonitas animositas &c (idque etiam sine alterius in hisce minutione seu detrimento) transferatur in alium. Ut item affectio talis si quandoque velles iterum mutetur in pristinam seu aliam: Seni de Iuvenibus, Ægroto de Sanis communicetur.

II.o Vita ipsius seu per hominem totum seu in parte ipsius hinc inde instauratio, Motuum effectio, restitutio, fortificatio. &c.

III.o Corporis vel totius vel eiusdem partis nutritio, mutatio, &c et talis quidem quam expetis: utcunque etiam ventriculus, hepar, &c virtute defecerint, nil vel mala egerint.

IV.o unde

Ex Segelii Thesauro rerum.

IV°. unde Morborum et affectionum fere omnia genera aliaque etiam curam respicientium curatio: postquam quid cui conveniat sic experta fuerit.

Hostium victoria p. 154.

Ratio peculiaris qua hostilem aciem totam seu hinc inde ordines omnes cum pedestres tum equestres perrumpis perturbas prosternis: tuis hoc agentibus tutis et illaesis. unde et sic capiendos seu capis seu interimis.

Navium hostilium deductio. p. 155.

Rationes non unius generis singulares, et quaedam admiranda quibus Naves hostiles cum hostibus variis et insperatis modis laeduntur et capiuntur, etiam ut velis sine sanguine et interitu.

Ferarum laesio et captio. p. 156.

Ut Canibus, Lupis et hinc inde feris obsistas, insuperque has laedas et persistare facias vel etiam ad te pertrahas imo manibus easdem innoxius apprehendas, detineas; et vivas leniter abducas: et quidem vel unicus et solus haec omnia perficias, dum ~~modo~~ videlicet mediis hisce instructus iter quodcumque etiam pedes suscipis, vel alias ibidem versaris. Quibus mediis insuper contra hominem hostem uti licet.

Arborum accretio. p. 163.

Quomodo rationes variae aliae seu per se verae quibus in primis Arborum fructus aliter quam assolent liberè excrescunt et mutantur rectè usurpandae et applicandae veniant sic ut succedant: cum hoc usu ignoto seu non adhibito successu careant deficiant et frustrentur.

Varia fruticum mutatio. p. 163.

Arborum et fruticum species, naturae, proprietates, attributa, qui mutari inter se possint mutatione utrumque varia et sicut voluerit seu elegeris inter se mixta. Qua ratione et variè attentare et experiri licet quae exotica seu alias peregrina, et in tali loco haud provenientia reddantur hinc domestica.

Ex Speculi Thesauro rerum.

Scriptura nocturna p. 167.

Medium accommodum quo noctu seu in tenebris stans sedens iacens adnotare et integre scribere quam aptissime poteris quaecunque cupis seu quae cogitando et undecunque incidunt.

Divitiarum auctio. p. 95.

Demonstratio et praxis qua ratione pecunia et divitias omnino licite honestissime et quam optime quis frui easque plurimum et ultra fidem augere et accumulare valet, idque sine usuris sine negotiatione aut similibus mediis longe et incredibiliter magis quam si sex pro centum aut amplius etiam capiatur: adeoque qui pecunia sic impendenda ut inde non tantum reditus annui percipiantur sed ut insuper et reditus ipsi et in primis et maxime ipsa summa quod aiunt capitalis (id quidem sine ulla idcirco actione vel contributione hominis ullius in se et per se ipsam) continue et semper accrescant plurimum et immensum ultra quam alias credi possit unquam.

Memoria artificiosa. p. 115.

Informatio quaedam perquam pusilla, quam dum certo modo apud te recondis reddere sive repetere, et sic meminisse poteris summas rerum quas seu legis seu audis seu animo intus concipis: sic ut sine mora intermissa ulla et vestigio vel quando velis et quidem ordine eodem tum et ut velis inverso seu retrogrado ordine easdem repetere valeas: etiamsi dicta rerum capita centena vel plura eaque vel similia vel utrumque diversa sic ordine quocunque oblata fuerint.

Liquorum chymicorum usus. p. 126.

Rationes compendiosae liquores quosuis insumendi tam utiles cum in Chymicis tum in Salium, Aluminis, Salis nitri, et rerum similium decoctionibus.

Finis praecipuarum Propositionum.

Notanda ex Paracelso De Antimonio

Hic enim Solus est Archaeus, est is ipse qui Aurum septies per ignem mittit, quique omnia per Antimonium in homine Subtilissime infundit a Deo ipso tantis artibus et tam magnalibus Singulariter dotatum ut per ipsum talia ab homine perficiantur. Tomo 2.o pag. 193.

Medicina altera ad Saturnum hominis exigendum et Subleuandum ita intelligi debet, ut nimirum praestetur ne is deinceps sit, qui fuit. Per hoc enim, Saturni Sphaera homo Subtrahitur; hoc pacto ut transplantatio unius in alterum fiat, vel aut Persica in Salicem, et similiter. Si ergo homo transplantari unique Planetae eximi ac alteri subjici debet; tunc ad hoc perficiendum, Antimonium idoneum est, quod Saturnum transmutat in Venerem: Per hoc arcanum homo redditur venerista, ac ascendentem accipit quem Sequitur. Ideo Antimonium cura est in Ethica, quod Stellam Saturni transplantat in Venerem: haec artis abdita sunt. tom. 4. pag. 166. De Aridura

---

Est enim in Auro vis ac operatio tam insignis et admiranda ut gradus ad roborandum Naturam nullus Sublimior inveniri possit, ut quo universi Morbi curari queant, ii cumprimis qui in gradu Summo versantur, et quorum ordinis etiam Contractura est: Similis vis ac virtus in praeparatis etiam Perlis inest, et multo magis in Antimonio; restaurat enim ~~[illegible]~~ et renovat universas in Corpore vires ac facultates mirifice,

Sicut

Ex Paracelso Notanda de Antimonio

Sicut de Restauratione & Renovatione vitæ traditur.
tom. 4. pag. 73. De Membria Contractia.

Beatus enim est Spagyricus qui Astra Potonia concordat ad Astra Terræ, & eadem in sua exaltatione ministrare potest: & correctio sua in hoc posita est ut propinetur ad præscriptum coniunctionis ac ita ministretur ne ipsius Astrum a Corpore secedat aut consumatur, sed Potonia semper rectrix sit & Corpus sanum tueatur. Sed Medicinas etiam depromit experientia.
Ita Antimonium per transmutationem rerum præparatum est eoque redactum ut in dulcedinem abierit: hæc ab Infantibus lincta Caducum quendam sanavit forte fortuna in illorum numerum delatum.
Jam quis Antimonii usum dissuadeat, aut non vehementer amet, cuius vis postmodum tot Casibus miré profuit? Et Inventio hæc placeria non sit universa ipsius Avicennæ doctrina?
Cæterum in Antimonio vis ac Arcanum tam potens latet ut Paroxysmum etiam vehementissimum, hoc est ignem, tollat. Et talem Inventionem quis aspernetur? quis reiiciat? ob id scilicet quia in Libris ac Lyra Galeni non continetur? Qui tamen universi si ad hoc Arcanum conferantur nihili quicquam sunt.
Huius autem præparatio de Floribus Antimonii albis descripta est in Modo de Præparationibus, ideo illic repeti otiosum sit; maximé cum Peritis omnibus de illa satis constet.
Ordo suus hic est ut grana novem ante Paroxysmum præbeantur: In medio autem Paroxysmo grana duodecim in os ingerantur, quacunque arte possunt. Et post horam

unam

Ex Paracelso Notanda de Antimonio.

unam a somno iterum grana novem: Id repetatur quoties opus est usque ad paroxysmum tertium qui postremus est. tom. 4. pag. 265. De Caducis.

Sicut autem vulgaris species varia intelliguntur: Ita etiam sub Antimonio omnes Marcasitæ Cachimiæ Talca Ogerta et his similia comprehenduntur:
Itaque si venenum Antimonij assumitur, tussis arida et sicca oritur et punctiones laterum et dolores capitis, suppressio sedum seu exsiccatio, apostemata splenis, ardor sanguinis, scabies, et foeditas cutis siccatæ, icteritia flava.
In quibus hæc signa apparent indicant spiritum Antimonij ex prædictis mineralibus illapsum esse. tomo 5° pag. 12ª. De Morbis metallicis.
Procedit vulgar ex Auro Argento ferro Cupro Stanno &c.
Ita et Antimonium ex Auro Argento ferro &c. ibidem.

Quare hic solummodo consideranda est natura diaphoretica membrorum illorum quæ his tribus vulgari Antimonio vel Alcali obducta sunt.
Vulgar est fuligo, Antimonium est mucilago aut ut melius intelligatis firnisium, Alcali est Tartarus. hæc sunt illa tria quibus oneravantur membra spiritualia. Idcirco notate quod ex Metallis triplicia Arcana perlata extrahuntur quorum quodlibet retinet suam virtutem diaphoreticam quæ sola ad tres dictas species pertinet, ut scilicet Membra spiritus in suam propriam humiditatem perducantur, per quam supra dicta tria abluuntur et ad exitum diriguntur, quod fit per emunctoria sua. tom. 5°. pag. 18. De Morbis metallicis. tom. 5°. pag. 17. De Morbis metallicis.

Traduct alicui ??

Ex Paracelso Notanda de Antimonio.

Gradus alicuius rei ex magnis et excellentioribus virtutibus decerni debet ad hunc modum videlicet: Quinta essentia Antimonii Lepram curat; et quinta essentia Corallorum, Spasmum et torsiones pellit

Ut iam cognoscatur utra nam harum melius et altius gradata sit aliud iudicium esse non potest quam Antimonii quintam essentiam esse potiorem et altiorem, ex eo quod Lepra gravior infirmitas existat quam Colica sit cum suis annexis.

Juxta igitur proprietatem quam habet contra Morbos diversos, gradus eius considerantur: quin etiam in uno et eodem Morbo: sic enim Essentia una altera ad Lepram curandam validior est; ipsamque namque et Essentia quinta Juniperi pellit, et Quinta essentia Ambrae, et Quinta essentia Antimonii, nec non Auri Quinta essentia.

Jam etsi quatuor istae Quintae essentiae omnes curent Lepram, cum differentia tamen id praestant, cum ad eiusmodi curam in eodem gradu non existant: Nam Essentia quinta Juniperi morbum hunc pellit per summam repurgationem et mundationem quam inducit in sanguine, et in venenum, ut non ita perceptibilis sit; itaque in istius Cura primo gradu numeratur: Quinta essentia Ambrae venenum etiam adimit, et magis; pulmonem enim et cor et membra Leprae subiecta, mundat; quare secundus ei gradus tribuitur: Antimonii Quinta essentia ultra ambas virtutes iam dictas etiam mundat Cutem et Corpus totum acuit ac renovat mirum in modum; quamobrem tertium gradum obtinet. Solis autem Quinta essentia has operationes omnes exsequitur sola, tum radicitus omnia Leprae signa tollit, ac renovat Corpus, uti Mel et Cera mundantur et a suo fano repurgantur; hac de causa quartum gradum occupat: hoc modo gradus Quintae essentiae cognosci, et unus ab alio

discerni

discerni potest, hoc est quaenam eorum altior seu excel-lentior existat. tom. 6.o pag 22. de Archidoxis.

Quis enim instruet nos ut cognoscamus quibus viribus Antimonii Quinta essentia pilos eiiciat, et novos excitet. Item cur Essentia quinta Melissae dentes eruat, ungues manuum pedumque eradicet ac novos reddat; et Essentia quinta Rebiae cutem distringat et renovet; Chelidoniae vero Quinta essentia Corpus immutet et renovet in bonum et melius, non secus ac imaginem colores renovans? Longe plures hic sunt quae hic omittimus. tomo 6. pag 23. de Archidoxis.

Nam in nonnullis Marchasitis plus virtutum existit quam in consimilatis Metallis. hoc videmus accidere Plumbo et Antimonio, quorum hoc curat Leprosos Morpheam Alopeciam et similia, Scabies omnes et Cicatrices Leoninam Elephantiam Tyriam &c. quod Plumbi seu Saturni Magisterium non efficit. Quare proprietates eiusmodi notandae sunt quae non tantum in magnis verum etiam in minoribus quandoque latent abundantius.

Rationem vero hanc investigare pergamus, cur Antimonium plus virtutum habeat quam suum Metallum? Corpus nimirum eius Antimonii fixum non est, et non satis in sui perfectionem digestum, ut Saturnus; unde volatilem proprietatem assumit.

Verum ipsa Materia ex qua nascitur Antimonium (uti de generationibus ponimus) spoliativa est et mundificativa à naturali sua proprietate quae ita remanet incorrupta: Indeque provenit ut Antimonium corpus mundet et purget, prout Argentum et Aurum ab omnibus impuritatibus suis per ipsum liberantur. Magisterium Antimonii Lepram expellit magis quam

Ex Paracelso Notanda de Antimonio.

magia quam de ipso credibile sit. tom. 6° pag. 48. De Archidoxia.

---

* Sicut Antimonium finit Aurum, sic eadem ratione ac forma finit Corpus: In illo enim est Essentia quae nihil impuri cum puro confundi sinit.

Neque quisquam Spagyricae artis peritus deprehendere potis est vim atque adeò virtutem Antimonij.

Nam in principio rerum eò devenit Antimonium, et inter Metalla quae Aquae sunt sic est relatum, ut porrò etiam diluvio exacto vis huius genuina atque adeo virtus permanserit; ita ut sese ex Influentia semper dirigat, neque aliquid de vi ac virtute natiua vnquam decesserit.

Meritò igitur omnia quae Mineralium sunt, quorum summum ac potissimum arcanum in se claudit Antimonium, huic vni tribuimus: Mundat seipsum cum reliquis quae immunda sunt. Porro si nihil omnino sani adest, immundum corpus in mundum transformat; quemadmodum in expositione Leprae habetur: Quae omnia palam declarat ac indicat Spagirica praxis.

Sed ne longius quam par est digrediamur et tandem ad praeparandam Antimonij virtutem (cuius vel apex vnus aut iota omnibus Codicibus qui in vestra professione sunt praestat) perueniamus, sic habe:

Principiò vide ne corrumpatur Antimonium, sed totum hoc quantum est, integrum permaneat citra vllam amissionem formae: Sub hac enim delitescit Antimonij Arcanum; Id quod per Retortam impelli debet sine omni capite mortuo; ac denuo in tertium Cohob in tertiam naturam reduci. Tum demum sumpsit Dosis sua, grana

quatuor

Ex Paracelso Notanda de Antimonio.

quatuor, quintae essentiae administrata: huic praeterea nihil tribuit Archidoxorum. tom. 6° pag. 146. de vita longa.

Nota quod praecedens hîc repetitur discursus sed alterius traductionis. in hac Nota *

* Quemadmodum Antimonium purgat Aurum; Ita purgat etiam Corpus: Continet enim in se Essentiam eam quae nihil impuri relinquit in puro.

Neque vllus est vsque adeo in scriptis Archidoxeis peritus aut tam insignis Spagyrus qui vires et facultates Antimonij plene indagare queat.

In prima enim hyle Antimonium adeo exaltatum et inter Minerales Elementi aquae praedestinatum est vt facultas et virtus sua nullo diluuio instar caeterorum aquosorum viventium imminuta aut absorpta sit, atque his omnibus Antimonium longe praestet: In praedestinatione illud ita se habet vt se influentiae accommodet, nulla facultate aut dote sua diminuta aut infirmata.

Itaque ex omnibus Mineralibus summi Arcani laudem obtinet: hoc seipsum purgat, et vna secum etiam alia: Quod si nihil boni in subiecto reperitur, impurum corpus transmutat in purum, sicut de Lepra notum est, quod vniuersum per Spagyricam practicam comprobatur

Sed vt virtutes eius praeparare doceamus iam diu absconditas, de quibus litera vnica omnibus vestrae professionis Codicibus praestantior est:

Sciendum est processu ipsum Antimonium tali tractandum esse, vt nihil in sua illud forma dissoluatur: forma enim, ipsius arcanum est; quae per Retortam transigi debet citra omne corpus mortuum et ad tertium vsque Cohob deduci: Ita praeparati dosis est granorum quatuor, quale per se est in essentia quinta Melissae

sumptorum

sumptorum: plura Archeus tertius ei addere non potest.
tom. 6° pag. 168. in fragmentis libri tertij de vita longa.

De Antimonio

virtutes Antimonij sunt in { Morphea, Lepra, Elephantia, vulneribus, vlceribus.

Præparatio Antimonij in speciebus Lepræ est ista

Recipe Antimonij optimè triti libram vnam: Aceti distillati fortissimè libras tres: Tartari crudi albi semi libram Reduc in pulverem subtilem ad instrumentum phiolæ; Distilla per Retortam et habebis oleum rubrum

Antimonium aliud subinde habet processum: si enim cum ipso Morbus alius curatur, alia semper præparatio requiritur, vt alia in vulneribus alia in Lepra, et sic in cæteris: Nam si vsurpares Antimonium in Lepra vt in vlceribus esset maximum erratum.

Præparatio Antimonij in Elephantia.

Est vt in Lepra.

Præparatio Antimonij in ~~Morphea~~ vulneribus

Recipe Antimonij optimè triti, Tartari calcinati, ana semi libram: Alcohol vini, sextarium vnum, fiat mixtura: Distilla per Alembicum vsque ad resolutionem rei. Cuius rei dissolutæ recipe scrupulum vnum, Alcohool vini scrupulos quatuor, desicca per coagulationem, reduc in oleum super porphyrium.

Nulla est præstantior cura in vulneribus quam ex Antimonio, exceptis vulneribus Capitis: Debet autem ita præparari

Ex Paracelso Notanda de Antimonio

ita praepari vt Antimonium tamdiu sursum distilletur donec inferius aquosum sit.

Praeparatio Antimonij vt vlceribus te ~~ista~~.

Recipe Antimonij, Colchotar, Floris aeris, ana ad placitum, reduc sss ad gradum reuerberationis: fiat extractio cum vitriolo rubeo, reduc in Alcali.

hoc Alcali cum oleo Oliuae in vnguentum redige et circa vlcera illine, curat ~~mag~~ maxime.

Praeparatio Antimonij in Morphea.

Recipe Antimonij optime triti semilibram, Tartari calcinati, Aluminis ana. fac stratum super stratum, reduc in ignem reuerberationis vsque ad quartum gradum: deinde distilla et exibit oleum per se rubrum spissum.

Stratum super stratum est quando series vna de Alumine, et Tartaro, postea de Antimonio series alia ponitur. tom. 6o pag. 169 et 170. De Praeparationibus.

Antimonium suam inimicitiam in hoc ostendit quod omnia Metalla cum quibus liquefit et cum quibus miscetur, spoliat aufert et praedatur: et praeterea non absimiliter Sulphuri, suo fumo Metallis genuinum et naturalem colorem furatur et alium substituit. tom. 6o pag. 209. De Generatione rerum naturalium.

Duplex reperitur Antimonium vnum vulgare nigrum quo repurgatur Aurum in eo liquefactum: hoc cum Plumbo habet affinitatem proximam. Alterum est album quod Magnesia etiam dicitur et Bisemutum, affinitatem habet cum Stanno maximam; et cum

altero

Ex Paracelso Notanda de Antimonio.

· altero Antimonio permixtum augmentat Lunam. tom. 6° pag. 284. in Coelo Philosophorum siue Libro vexationum.

Sequitur Antimonium quod corpus suum ex Mercurio assumit, Itaque natura Mercurii vastissima postquam expurgatur: vires etiam et virtutes Mercurij omnes retinet.

Ex fructibus ergo omnibus de tribus primis existentibus nullus est qui Mercurij vim Antimonio apertius retineat: nihilque est aliud quam coagulatus Mercurius per Spiritum Salis et ~~sulphur~~ Sulphur, nisi quod Mercurius grossus sit asperque, quia non ex subtili natura Mercurij oritur, sed in materia hac ita ordinatus est: Ascendit in Yliadum speciem metalli, quia respectu sui corporis multum naturae metallicae possidet, quanquam eius census non sit. tomo 8° pag. iij. de Elemento Aquae.

Porro etsi quidem Pluuia nec amara nec dulcis sit: amara tamen ac dulcis est in mixtione; quod separatio manifestat: haec autem in elemento terrae a se inuicem separata sunt, hoc est Elementum Aquae in Antimonio plures quam decem dulcedines habet, quod per institutam separationem innotescit: Eas terra in tot partes diuisas continet, ac ita constitutas, ut ibi quaelibet seorsim sit, quae in aliis permixta iacet: quod Medico quidem sedulo observandum est, ut sciat quasnam virtutes aut in separatis aut in permixtis quaerere debeat.
Decem enim dulcedines Antimonij, decem virtutes praestant: quas terra in decem herbas diuisas habet,

qua

quæ junctim in uno **Antimonio** latent: et sine huius distributionis cognitione Medicus nullus ad solidum Medicinæ fundamentum penetrare potest. tom. 8° pag. 285. De naturalibus Aquis.

Dico latius, Supremum in quo Mumiam pono maximam et potissimam, consistit in Salibus, ut istis acredinem et asperitatem auferatis: Et statim atque dulcedinem receperunt maxima supremaque Mumia facta sunt. Metalla similiter et **Antimonium** sine corrosiuis in liquorem adducta Mumias omnes excellunt. in Chirurgia minore pag. 24.

\+ Jam ad hæc animaduerte Balsamum existere præter liquorem Mercurialem. Unde sequitur in Mercurio sanationem omnem contineri: Similis et potentissimus in Theredniabin et Nostoch, item in Aqua mineralibus, Terraque fructibus Mercurius habetur: Ex eo colligi potest **Antimonium** excellentissimum verorum exhibere Medicamentum; cum huiusmodi liquoris Mercurii plus in se contineat quam alia quævis ~~Marcasita~~ Marcasita Kakimia, et alia similia.

Solum ex eo **Antimonio** curam et sanationem suam recipit Aurum, quod supremum Arcanum et remedium habeat. Subtilior enim liquor Mercurialis inter ea quæ per elementum Aquæ producuntur, minime reperiri potest. in Chirurgia minore pag. 56.

Antimonium virtutem admirabilem possidet in curationibus vulnerum quibus accidentia corporalia mixta sunt, ut fistula Cancer Lupus etc. in quibus tamen non concurrunt, sine usu non est opus; cum in aliis tantum caetera omnes excellat artes, ut maior et melior non possit reperiri, salua

tamen

Ex Paracelso Notanda de Antimonio.

tamen cuiusuis expedientis dictum.
Quapropter summè necessariam existimo declarationem eius, tametsi praeparatio non facilè scriptis addisci queat, ab Alchimistis petenda est ut Antimonium reduci possit in oleum rubeum ut sanguis, et ex libra una habeantur unciae duae vel semi.
Recipe Antimonii libras tres, Salis gemmae calci-nati tantundem, et simul distilla per vas Retortum tribus diebus naturalibus: Et sic habebis rubeum oleū cuius virtutes ad incurabilia desperataque vulnera satis commendari nequeunt. in Chirurgia minore pag. 277.

Essentia Antimonii est purgatio praeter sensum quae purgat hominem excellentius super alia quaevis arcana, radicitus evellit auferendum, ac omne quod immundum reddit humanum corpus, hoc in supremum usque sanitatis gradum purum efficit, ac ab omnibus aegritudinibus mun-dat, etiam illis ex quibus oriuntur ulcera.
Quicquid foetere hominem fecerit impuri esse, ac magis omne quod in homine per hominem indecentis incudiri potest: Si tu Medicinam hanc vel potius Arcanum reperias, impedito ne desperes.
Philosophi nec non Artistae plurima tentarunt in Antimonio, verum ad fundamentum eius purum et perfectum pervenire non potuerunt ante mortem, quam etiam priusquam nascerentur persoluerunt.
hoc loco praeparationis eius principium non quod in libro nostro de Quinto esse reperiatur, sed remedium contra Colicam ponimus ut sequitur

Recipe

Ex Paracelso Notanda De Antimonio

Ad Colicam.

Recipe Aquarum Melissae, vitae circulatae, succi Chelidoniae ana tres uncias, florum alborum Antimonij unciam unam et semi: Digerantur diebus duodecim: postmodum separando per Balneum invenies Essentiam Antimonij de qua dosim facies semi unciae qualibet vice.
in Chirurgia minore. pag. 323.

De Tinctura Antimonij restaurante ac renovante.

Inveniendorum Remediorum eorumque natura indaganda rationem vel unius Antimonij exemplo quis facile addiscere posset
Quemadmodum enim primum Arte Chemica ~~ipso~~ ipsi soli Antimonio virtutem repurgandi Auri inesse, ac perfectam, quae nullas relinquat sordes in illo cognitum est; Sic Medici easdem vires in humano Corpore experturi, illius Arcana inquirere non sane veriti.
Atque hinc didicerunt Tincturam quae illi inest extrahendam esse quae idem in humano Corpore expurgando praestet, quod in Auro mundificando efficere ipsum Antimonium apparet.
in Chirurgia magna pag. 149. tom. 1o.

Sciendum praeterea est quemadmodum Antimonium solum Aurum purificat, reliqua omnia Metalla consumit (adeo ut Argento adhibitum eius pondus mirum in modum minuat): Sic solum humano Corpori ~~adhibitum~~ expurgando dicatum esse, non reliquis.
Homo enim quoad vires ac perfectionem maximam cum Auro similitudinem habet: Atque hinc Stibium Aurum tantum et hominem ad summum usque puritatis gradum deducit; reliqua omnia

Ex Paracelso Notanda de Antimonio.

reliqua omnia absumit.

Antimonij huius itaque natura cathartica est, sine fecum aut excrementorum relictione: etenim illud solum pollet (supra omnia reliqua Arcana) quod immundum hominem reddit, eumque expurgatis omnium Morborum ac vlcerum causis, ad summam sanitatem reducit.

In elaborando illo Antimonio summi Philosophi desudarunt, sed in cassum omnia: Nostra tandem aetate, nostra inquam opera elaboratum perfectumque est. Itaque istud secretum est quo omnis curatio auspicanda erat: multorumque enim perditio per illud praecaveri posset, quam pseudochymia ac opinionistae nostri aegris conciliant.

Circa Antimonij praeparandi rationem Chemiae peritis (nam iuxta vulgatas Pharmacariorum regulas tradi nequit) nos impertiemur.

Praxis

Recipe Antimonij in subtilissimo Alchool redacti quantum sufficit in clauso Recirculatorio ad spacium vnius Mensis recirculetur, et euadet volatile leue, primo album, mox luteum, dein rubrum, postremo purpureum seu violaceum: Quo facto ab ipsius Lilio Essentia sua per spiritum vini qui viginti digitis supereminent, extrahatur: dein separetur. Separatus iste vini spiritus namque nobilissimam pretiosissimam, et tantum non diuinam Lilij Essentiam ad omnes Morbos percurandum praesentissimam continebit. In quo perquirendo remedio omnium qui ante me vixerunt Philosophorum ac Artistarum labores vani fuere. in Chirurgia magna. pag. 150. tom. 1°

Videndum autem

Ex Paracelso Notanda de Antimonio.

+ Videndum autem Balsamum Conditare nihil aliud esse quam quod in tribus primis Liquorem Mercurialem appellare solemus: Ex quo consequitur omnem Curationis vim in Mercurio inesse: Mercurius huiusmodi manifestissime in Therebinthina et Nostroc apparere solet, tum in Mineralibus Aqua, Fructibus Terra, atque in Astris. hinc ratio elucescat quoque quamobrem tantam vim ad vlcera procuranda Antimonium contineat, nimirum quia Liquore Mercuriali magis quam reliqua Marcasitarum species abundat hinc itidem Auri vis curatoria spectatur: etenim nullum corpus ex Aqua elemento productum copiosiorem ac subtiliorem liquorem mercurialem obtinuit quam Antimonium. in Chirurgia magna pag 201. tom 1o.

Nota quod superior discursus conuenit cum eo quem supra citaui ex Chirurgia minore: differunt solum in traductione. in hac Nota +

Necessaria itaque Tincturarum consideratio est: Eae enim non hominem, hominem faciunt; id est aegrum, sanum efficiunt: nam qui excrementitijs ac noxijs humoribus scatet, iam homini vero non aequipollet. Quemadmodum ergo Aurum si ipsum finum non sit, per Antimonium expurgatur donec ad summum suae bonitatis gradum perueniat: Sic Medico hominum corpora consideranda veniunt; distinguendum scilicet illi est quoto gradu Sanitatis quisque constitutus sit: Eo enim cognito facile per Antimoniales tincturarum virtutes quemuis hominem ad summam sanitatem exaltare poterit. De gradibus istis a nemine hactenus quidquam proditum est, nos de ijs scitu dignissima in nris Archidoxicis paragraphis annotauimus: ista sane consideratio et vtilis et necessaria admodum est, nisi parum referre dicamus quantum quis ab optimo statu declinare nouisse. Immunditiae illae de quibus iam antea locuti sumus in duplici inueniuntur

Ex Paracelso Notanda de Antimonio.

inveniuntur differentia: aliud enim ab aurea natura hominis, aliud a nutritione excrementum provenit. Etenim quemadmodum in Auro sordes quædam sunt quæ ab optimo gradu ipsum declinare faciunt quæque per Antimoniū expurgari debent: Sic in homine excrementa quoque ab Auro (liceat perpetuam analogiam observare) provenientia latent. At cum homo in hoc Aurum super et quod nutrione opus habeat insuper, aliud quoque excrementi genus colligere necesse habet.

hac itaque excrementorum differentia observata facilis erit superioris dubii solutio: ubi enim minerale excrementū fuerit causa, Morbi causam vix augebit, atque hinc curatio per abstinentiam ac purgationem inutilis erit. Nam in minerali excremento expurgando Mineralis Medicina quæ in solis Tincturis ut puta Sole Mercurio Antimonio et consistit, necessaria est; quo expurgato, sponte reliqua stercora evacuantur. Tincturarum autē operatio (ut et illud aliquando annotemus) in hunc ferè modum fit, veluti Ignis videmus ligna ac similia corpora quæ nullam ut Aurū et hominis figuram ~~haben~~ gerunt, in universū facile absumere, Sic et Tincturas operari credendum est.

Sic et quemadmodum Antimonium omnes Auri sordes expurgat ipsumque perficit ac ad summum gradum exaltat per Cæmentationem: Similiter Cæmenti similem naturā Tincturæ ipsas obtinere manifestum ~~est~~ fit; ex eo quod huius ac Ignis planè similes operationes perficiant. In Tincturis cum Igne coniungendis mirè defatigarunt se antiqui Artistæ: videbant enim ex istorū coniunctione planè sacra Medicinam proditurani; sed frustra omnia. in Chirugia magna pag 153 et 154. tomo 1°.

vindemiarum

Ex Paracelso Notanda de Antimonio:

Administratio Tincturæ Antimonij.

Vindemiarum tempore recipe Musti boni quantum sufficit ac singulis xx sextarijs impone semi unciam Tincturæ Antimonij, defervescant omnia, et reserventur ad usum. Atque ubi necessitas postulaverit Ægros ad mensis spacium hoc potu sustentato, nec quidquam bibant prætereà. Miram illius in repurgando mundificando incarnando ac claudendo ulcere virtutem experieris: Nam ulcus seu vulnus ipsum esset, instar potionis vulnerariæ perfectè consolidat, nec opus est extrinsecus nisi vulgato Emplastro uti. Optarim sanè loco omnium Receptarum ac Compositionum vulgarium hanc unicam Potionem substitui, forsan non tam malè audiret Medicina, minusque periclitarentur Ægri.   in Chirurgia magna. pag. 155. tom. 1o.

Antimonium itaque miranda virtute pollet in sanandis vulneribus, quibus Carcinomata, fistulæ ac Syreon sic complicantur. Cuius secretum quia penes me est (non enim puto extare in istis casibus præstantius nobilius certius aliquod remedium) publicare non dubitavi. Verum quoniam praxis difficilis scripto profertur, moneo ut præparandi modum apud Chemistas addiscas, nam tā indignum foret præmansu mandere: videbis illic ex lib. i. parari, uncias ℥ duabus olei Antimonij.
Recipiunt ~~illi~~ autem illi Antimonij libras tres, salis gemmæ in calcem redacti tantumdem, distillant per Retortam in Athanore id est Igne fortissimo per tres dies et tres noctes et prodit oleum rubicundum Antimonij præstantissimum, artis Chemicæ secretum numquam satis laudatum in desperatis vulneribus: Ab huius tamen usu abstinendum ubi non

complicata

complicata fuerint Carcinomata, fistulæ &c.

Similiter veneris sublimatione tantas vires acquirere experti sumus, ut iam cum Antimonio de præstantia certare audeat. Cuius præparatio talis est: Venus cum Mercurio in calcem redigitur, calx deinde Aquâ fortis aliquantum combibere sinitur post denuo exsiccatus cum duplo salis communis in Reverberatorio sublimatur, et ascendet pulvis viridis levis ac subtilis qui in vulnera inspersus Emplastro stiptico imposito omnia vulnera curat, quibuscumque tandem malis ea gravata sint. Huiusmodi virtutes pluribus alijs Metallis ac Mineralibus insunt, quæ sola præparandi ignorantur, quam vero Medico turpe sit ista ignorare quilibet ipse iudicet: hinc verè Medicina contemptum originem duxisse certum est. hinc Medici præstigiatores ac improbi homines habiti sunt.

Incumbendum igitur omnibus in id est ut suæ Artis ~~cognitionem~~ perfectionem sibi proponant, quam studio operâ ac sedulitate se comparare posse sibi persuadeant: Ante omnia vero experientiam comparent, quâ si destituantur et Artem et Artificem contemni sciant. Comparabunt autem eam non in anilibus Artibus, sed in præstantibus illis quales sc. Veneris et Antimonij annotata iam sunt, tum in iusto adhibendi modo. Nam ridiculum est præstantibus nobilissimis remedijs eorum genuinum usum ignorare. in Chirurgia magna. pag: 50 et 51. tom. 1°.

In Antimonio deinde similiter Balsamus quidam inest quem ut extrahas, ipsum prius cum Sale armoniaco resolutū pluviali aqua dulcorabis, deinde exsiccatum iterum supra marmor resolves totics donec limpidissimo rubore conspicuus evadat: Isto Remedio fistulæ Carcinomata aliaque gravissima affectiones cum lue gallica complicatæ facillimè sanantur

Ex Paracelso Notanda de Antimonio.

Sanantur. " in Chirurgia magna. pag. 106. tom. 2°.

Nos Methodi commodioris causa Medicinas bifariam diuidamus, alias viris alias Mulieribus tribuentes, vtrisque nimirū binas: Mulieribus competunt Melissa et valeriana, viris vero lignum Aloes et Antimonium: has inquam Medicinas in suam primam Materiam reducere oportet; hoc est ab illis omnia terrestreitas amouenda. in Chirurgia magna. pag. 158. tom. 2°.

Ingentium tamen laborum certissima argumenta in Salibus habemus: hos etenim cum viderent quicquid vspiam est a putredine tutum asseruare non tendere rationati sunt, ad humani corporis putredines praecauendas quoque vtiles futuros: Itaq Sales praeparauerunt ex primariis Arcanis inuictos, ac cum Sale mixtis vt Floribus Auri, Antimonij, Corallorum &c (quos a se Philosophorum Sales appellare placuit) eosque Aegris cum Cibo exhibuerunt. Quin non ita multo post ex omnibus Sales istos conficere didicerunt, quorum singulorū vires cū illis perspecta non essent plures inuictos miscuerunt, ac Aegris exhibentes eorum effectus obseruarunt; huius generis sunt Sales valerianae, Melissae, Chelidoniae, Angelicae, Eryngij &c. in chirurgia magna pag. 150 tomo 1°.

Verum quod superius monuimus optima quaeque Salium composita adhibita esse, praecipue vero Flores Antimonij: admonitos tamen vos velim interim, Florum Antimonij vulgatā praeparationem, et ut quintam essentiam Auri à Rupescissa loquacissimo Monacho proditam et a Raymundo Lullio haustam, genuinā non esse: nam vt verum fatear nulla eorū descriptio ad me pertinuit, quam vsurpandam consulam; nisi eā quam nos inuenimus forsan alicui arrideat: Sed ad Sales redeo quorū ex nra correctione ac praeparatione duas formulas proponemus. vt Recipe Salis Auri, Salis Antimonij Salis Melissae

ana vnae semi

Ex Paracelso Notanda De Antimonio

ana unciam semi, salis communis uncias octo: Misceantur et singulis matutinis cum mica panis torrefacta modicum utere: Ne mireris quod salem solis et salem Antimonii dicam, cum tamen sales non sint: si scires quae scire deberes admirari desisteres. Alia formula. Recipe salis Saman=dreae, salis Cichoreae, salis valerianae ana unciam unam, salis Absynthii scrupulos duos, salis vitrioli drachmam unam salis solis libram unam. Misce et utere, ut supra.

in Chirurgia magna pag. 151. tom. 1o.

Ortus medicinæ in 4° Amstelodami CIƆ IƆC XLVIII.

Notanda quædam de Menstruo quodam universali quod Jo. Bapt. Helmontius vocat Alcahest secundum Paracelsum.



1 Summus atque felicissimus Salium est qui ultimā puritatis et subtilitatis metam in Natura attigit, cuncta pervadit, solusque agendo manet immutabilis, quæque alia pro lubitu promptâ resolvit obedientiâ, rebellemque omnem Materiam, non secus atque Aqua calida Nivem, liquat et volatizat. pag. 380. 24. in potestate Medicaminum.

Potestas Medicaminum

---

2 Magisteria vero lubens Extractorum vice repono: quibus tota rei Substantia in primitivum Succum redacta est; qui præparandi Modus Modernum vulgo manebit in ævum absconditus et incognitus: In qua Solutionis retroitione sponte separantur Succi heterogenii, diversis plerumque fundis sibi invicem supernatantes; siditque unus rector diversitate insignis, ens seminale continens. pag. 370. 22. in Pharmacopolio ac Dispensatorio moderno.

Pharmacopolium.

---

3 Docuerunt me Theoremata spagyrica quod pariter Liquor exiguus custodiens vasis Simplicium incorruptas, absque condimento alieno. ibidem. pag. 371. 34.

Pharmacopolium.

---

4 Novi enim Aquam quam manifestare non libet cuius medio omnia vegetabilia in Succum distillabilem sine ulla sui in fundo vitri fæcum residentia commutantur: Qui Succus distillatus adiunctis

Complexionum condimentalium figmentum.

Alcalibus

Notanda de Alcahest & Helmontio.

Alcalibus totus in Aquam Elementalem reducitur insipidam.

Complexionum Elementalium figmentum

Neque sane id mirum: Quippe ostendam suo loco Omnia prorsus vegetabilia ex solo Aquae Elemento materialiter consurgere: Si ergo omne Corpus mixtum redeat tandem in meram Aquam pluviam necesse est quod haec omne e corporibus mixtis prodiens sit materialiter ex Elemento Aquae: haec ergo quod e Carbone exhalat etsi accendatur, materialiter tamen non nisi Aqua est; quod ipsum de Aqua vitae superius ostendi in Mechanica. 2° Machab. 1° nec alibi in Sacris fit mentio Aquae crassae quae esset Ignis perpetuus, forte non absimilis nostrae. <u>Posui namque Carbonis quercini, et Aquae cujusdam partes aequales in vitro Hermetice clauso</u>; spatio tridui, totus Carbo versus est tepore Balnei in duos liquores diaphanos et colore varios: quibus simul per Arenam distillatis secundo caloris gradu, vitri fundus tam purus apparuit ac si recens e clibano vitrario allatus: Mox duo liquores per Balneum primo ascendunt, ambo aequiponderantes Massae Carbonis. Liquor vero dissolvens manet in fundo paria pondera sibi, et virium. Porro duo isti liquores paucula Creta admisti, tertia distillatione ascendunt ~~prinstino~~ pristino suo pondere, omnemque qualitatem Aquae pluviae habentes: Ergo haec Carbonis quod non nisi aperto ~~[illegible]~~ ignitoque alias vase exhalat, simul cum suo Cinere, non sunt nisi mera Aqua materialiter.

+ Liquor dissolvens manet in fundo.

Seminalis enim Concreti proprietas quae in hac perstiterat vi frigoris et debitam maturitatem moritur, et in pristinam Aquam haec redit.

Omnia vero vegetabilia immediate et materialiter ex solo Aquae Elemento prodire hac Mechanica didici: Cepi enim vas Terreum in quo posui Terrae in clibano exsiccatae libras ducentas, quam madefeci Aquâ ~~pluta~~ pluviâ, illique implantavi Truncum Salicis ponderantem libris quinque: Ac tandem exacto quinquennio, Arbor inde prognata pendebat centum sexaginta novem libras et circiter uncias tres. Vas autem terreum sola Aqua pluvia vel distillata semper ubi opus erat madui, eratque amplum et

Terra

Notanda de Alcahest ex helmontio

Terrae implantatum, et ne pulvis obvolitans terrae commisceretur lamina ferrea stanno obducta multoque foramine ~~pluria~~ pervia labrum vasis tegebat: non computavi pondus foliorum quatuor Autumno deciduorum. Tandem iterum siccavi terram vasis et reperta sunt eaedem librae ducenti duabus circiter unciis minus: Librae ergo centum sexaginta quatuor ligni, corticum, et radicum ex sola Aqua surrexerant.

Carbo ergo cum totus sit ex Aqua si reducatur in fonte aliquo in lapidem, non potest per Aquam commutari in lapidem nisi etiam totus ille Lapis sit materialiter mera Aqua. pag. ~~22~~ 108. sect. 27. 28. 29. 30 et 31. in Complexionum atque Mistionum elementarium figmento.

5 Progymnasma Meteori Etsi Aqua polleret tribus vulgatis initiis, utpote quae constaret Sale Sulphure et Mercurio commistis, attamen non patitur ullam eorundem separationem propter exquisitissimam naturae suae simplicitatem, et stabilissimam constantiae suae perpetuitatem: Corpora enim dum ad summum subtiliantur ut amplius non possint, si persuadeatur subtiliando tandem abeunt in aliam substantiam cum retentione proprietatum seminalium: Et hactenus Alcahest Paracelsi cuncta naturae corpora penetrando subtiliando transmutat: Quod item in elementis Aqua et Aere non contingit, eo quod ob summam suae simplicitatis et destinationis ~~proprietatem~~ prioritatem, renuit in aliquid prius aut simplicius migrare aut transmutari. pag. 55. sect. 7. in Progymnasmate Meteori.

6 Despondet Author. Probabo primo quod Liquor Alcahest, Ens primum Salium, Sal, primus Metallus, Mercurius Diaphoreticus sive Aurum horizontale, unum inquam qualecumque ex illis (nam cuncta unius Dissolventis consanguinitate conspirant in unisonum) sat sit ad quorumlibet Morborum sanationem vel ut Momia corporealia. pag. 419. sect. 1. in Despondet Author.

Index Arcanorum

6. bis Index Arcanorum Paracelsi. Inprimis Tinctura Lili ab

Arcana Paracelsi. Electro Minerali immaturo in vinum vitae redacta: cujus una pars est Metallus primus; altera vero Membrorum Essentia.

Sequitur deinde Mercurius vitae, stibii proles integri, quae omnes morbi novum penitus absorbet.

Tertio loco est Tinctura Lili etiam Antimonialis, ejusdem penè efficaciae cum praecedenti quamquam minoris efficaciae.

Quarto loco est Mercurius Diaphoreticus, melle dulcior, et ad ignem fixus, Solis horizontis omnes proprietates habet. Sufficit enim quicquid Medicus et Chirurgus possint optare sanando: non tamen tam potenter renovat ut praecedentia.

Eminentior est divus Liquor Alcahest, immortalis, immutabilis Aqua solvens; et Sal circulatus divus qui reducit omne Corpus tangibile in Liquorem sui Concreti.

Succedit Elementum ignis et Cupro: Elementum sive Lac Margaritarum. Essentiae autem herbarum et gemmarum sunt praestatiae longè minora. Tandem salia volatilia herbarum et lapidum praecisam particularitatem retinent, neque universalium efficaciam attingunt.

Corallatus vero qui unicum est purgativum per sedem, vel etiam pulmonis, vesicae, laryngis, renum, purgando sanat adeo ut podagram funditus evellat.

Liquor Alcahest distillatus. Est nimirum Mercurius vulgi, à quo Liquor Alcahest semel distillatus est, residitque in fundo coagulatus et pulverabilis nequicquam in pondere auctus aut diminutus: a quo pulvere cohobanda est Aqua albuminum Ovorum, donec Coralli colorem acquisiverit. pag. 628. in Arcanis Paracelsi.

7 Complexionum Elementalium figmentum. Quaedam autem Corpora in tria dividi recusant: in Salem adjuncto Liquore Alcahest Paracelsi tandem fatiscunt et Sal in Aquam insipidam migrando destruitur. hoc in Scholis spreta Pyrothechnia ignorari stetit. pag. 85. sect. 6. in Complexionum atque Mixtionum

Elementalium

Notanda de Alcahest ex Helmontio.

Elementalium figmento.

8 Terra | Cum igitur Arena sive Terra originalis tam Arti quam Naturae resistat, nec queat ullis adminiculis (unico duntaxat Gehennae artificialis Igni excepto) Naturae vel Artis à primaeva sui ~~...~~ constantia recedere (sub quo Igne artificiali Arena salsic ac tandem Aqua, quia vim habet agendi super sublunaria quaevis absque reactione) sequitur quoque Terram originalem nunquam ad generandas Naturae seminales ullo modo assumi. pag. 45. sect. 15. in Terra.

9 Formarū ortus | Cum ergo Schola Luminum proprietates ignoraverit, non mirum in gradibus eas simplicium despitasse: Adeoque posthac iudicium est dandum de gradibus simplicium, iuxta pluris aut paucioris participationem luminis, de suo luminari regente: Id quod Pyrotechnia declarat seductione luminaris entis à reliquo concreto: Quod pluribus sat ieiunum est, sed Adeptis pervium; quippe per Ignem Gehennae qui est Liquor Alcahest Paracelsi sciri potest quantam alterutrius luminaris partem vegetabile (etiam incognitum, contusum ac situ obductum) possideat; non minus quam qua figura ornatum fuerit. pag. 119. sect. 88 et 89. in formarum ortu.

10 Progymnasma Meteori. | Itaque licet Terra parahomogenealiter reducatur in Aquam, per Artem: per Naturam tamen solam id fieri recuso. pag. 56. sect. 12 in Progymnasmate Meteori.

11 Progymnasma Meteori. | Reperitur namque Mercurius postquam est spoliatus isto sulphure suo externo nullo igni mutabilis: quia est Mercurius de Mercurio: Sulphur vero est mors et vita, sive vitae habitaculū in rebus. In ~~sulphure~~ Sulphure namque sunt fermenta, fraecedines, odores, sapores specifici seminum ad quasvis transmutationes: Mercurius ergo originali labe mundatus, atque virgo, non sinit

se amplius

se amplius a Sulphuribus aut Seminibus apprehendi quin hac contestim consumat, ac velut conficiat, excepto suo compari. pag. 56. Sect. 14. ibidem.

12 *Ignota actio regiminis* | Quas longe clarius per Adeptos demonstrari possunt: quibus scilicet unicus et idem Liquor Alcahest omnia totius universi corpora tangibilia potestate reducit in vitam eorundem primam, absque ulla illius sui mutatione, viriumque diminutione: a solo autem suo compari subter iugum trahitur atque permutatur. pag. 265. Sect. 19. in Ignota actione Regiminis.

13 *Potestas Medicaminum* | Tandem ac tandem Chymia pro sui apice universale Solvens parat, quo cuncta redeant in primum Ens, praebentque dotes nativas, abstergunturque ~~labem~~ labes originales corporum, foeditateque inhumanâ detersa magnas et inexplicabiles potestates nancisci est opportunum: Quantum autem puritatis acquirit intellectus sub hac opera solus novit Adeptus. Ah utinam mihi lagena semel possessa, non ablata! pag. 387. Sect. 65. in Potestate Medicaminum.

14 *Arbor vitae* | Adeoque existimavi opus esse Igne non urente ad virium nostrarum exaltationem, impedimentorumque sequestrationem: ut scilicet ad incorruptibilitatis complementum sive ad vitae longaevitatem nobis manutendam, quantum naturae corruptae recipienti possibile foret. pag. 731. in Arbore vitae.

15 *Arbor vitae.* | Sed necessum est ut sic vitae balsamus integralis ad Ens seminale reductus, in dotibus suis permanens, odore gratus, per cuncta vitae media atque Magni Oportet examina; adeo ut cum tandem Alimenta illi permixta sint suo munere defuncta; saltem fuligo eorundem, suo suffitu, spiritus insitos non amplius contivat et extenuet, sed potius recreet, atque hactenus incorruptibilitatis aliquam permanentiam aemuletur, custodiatque

sub vita

Notanda de Alcahest ex Helmontio.

Sub vita nostri media in nutritivo humore continuata atque propagata: Et gratia ergo dotis nativae, conciliet sibi amorem cum spirituum insitorum potestatibus sigillatis: Praeparatio igitur requiret activationem nativae virtutis, ac praeter penitiorem ingressum, virtutisque applicationem. pag. 631. ibidem.

---

16 | ~~[illegible]~~ | Arbor vitae

Quapropter arboris vitae Medicamen, esto balsamus odorus aromaticus, Naturae gratus, conditus praepotenti bonitate cruoris, et alimentum jam roris modo ~~applicatum~~ appositum: usque adeo incorruptibilitatis suae vigorem, continuetur vis balsamica in extremos usque limites suae exhalationis e Corpore. Quapropter unice cavendum, ne Ignis hunc fructum separantis Distillatione alteret, sed instituatur heterogenei divisio in suos fundos sequestrata, ad majorem puritatis et simplicitatis subtiliorem viriumque suarum sigillationem. pag. 632. ibidem.

---

17 | ~~[illegible]~~ | Arbor vitae | + [Li]quor Alcahest [re]sidens in fundo.

Resolve fragmenta ligni Cedri cum pari pondere Liquoris Alcahest in vitro sigillato, sub tepore fovente: Et intra septimanam videbis totum lignum in liquorem lacteum migrasse: mox vero circa quindenam supernatat distinctum duplex oleum quod in mensem usque augetur, et separatur dilucidius: Oleum vero tum separatur ab Aqua per operationem manualem. Tum distilla Aquam in Balneo, et liquor Alcahest primaevo sui pondere manet in fundo: Oleum vero cum Aqua toto trimestri lento tepore foveatur, et totum oleum assumit naturam salis et sese permiscebit Aquae: Estque ens primum Cedri. pag. 634. ibidem.

---

18 | ~~[illegible]~~ | Arbor vitae.

Quod autem Moderni de Elixire proprietatis jactitant, id juxta descriptum Paracelsi non succedit: Nam tria simplicia amplissimo vase vitreo sigillatoque conclusa, paucas saltem guttulas liquoris lactei et aliquot olei subpallidi dant post biduum, totidemque nec amplius post bimestre; vix autem tertia pars patitur ab igne, quin empyreuma comminiscitur; si vero fortius paululum

urgeatur

Notanda de Alcahest ex Helmontio.

Arbor vitæ.

urgeatur vas utrumque amplissimum dissilit: Video ingre=
dientia cum liquore medio connectantur, ita ipsa tandem de
nihili. Subticuit scilicet Paracelsus (prout in plurimis alijs)
additamentum Liquoris Alcahest cum quo tota Materia
mox solvitur per totum, et succedit Medicamen juxta illius
descriptionem. Inde enim Elixiri ~~huic~~ huic subtilis fra=
grantia ob quam praeservat materiam liquidam nostri Corporis
a corruptione, tanquam balsamus, saepè namque febri conta=
giosa deploratos unica guttula in vino propinata sic revocavi
quod adhuc in meridie meum pransi sunt, qui media nocte
unctionem postremam sacri olei susceperant: Profectò de=
fectu Cedrini Entis subvenit Elixir proprietatis: sed quid?
requiritur Alcahest quod non datur putantibus sed solis
scientibus, et quidem duplatis. pag. 635 ibidem.

19 Progymnasma Mercurii.

Est ergo Corporum sola in Igne constantia, in Mineralium familia,
et quidem in Metallis purissimis perfectissima: Eo quod Aeternus
non eradendi humiditatem, constantia sui, Mercurio metallica
assimilandam; atque ideo in Mercurio prout in Elementis
ratio propinqua indestructibilitatis: Siquidem in Mercurio
deprehendi quoddam Sulphur externum, originalem Metalli ~~l~~
labem continens; quae quia originalis, ideo et difficulter ab eo
tollitur: Quâ tandem nihilominus per Artem separatâ, aiunt
periti, Mercurium superfluo Sulphure, et humido superfluo ~~sepa=
ratum~~ mundatum. Quippe deinceps nullo igni potest Mercurii 9
in formam terrae praecipitari, ob simplicitatem sui maximam
qua Aquae Elemento comparatur: Amisit namque terram (id est
Sulphur) quae terra in centro suae essentiae non minus de se Ele=
mento Aquae quam residuus suus depuratus Mercurius, quam
licet terram prius ab origine sibi profundissimè commixtam
habebat. Si ergo in pristino statu Mercurius habebat adae=
quatam terrae et Aquae temperiem: ergo saltem post ablutionem
illius terrae sulphureae pristinam indivisibilitatem amisisset,
quam

Notanda de Alcahest. ex helmontio.

quam potius ~~contralia~~ contraria relationis habitudine longé firmiorem, deinceps sibi ad æonum confirmavit. pag. 56. sect. 14. in progymnasmate Meteori.

---

20 de febribus | Eiusque Paracelsi Arcanum, Corallinum vocatur quod paratur ex essentia Auri horizontalis, hoc modo: A Mercurio vulgo venali ~~extrahe~~ abstrahe Liquorem Alcahest, cuius meminit 2o de viribus membrorum, cap. de hepate, quod fit unius horae quadrante: Nam inquit Raymundus astantibus amicis et praesente Rege coagulavi Argentum vivum et nemo praeter Regem scivit modum. In qua coagulatione istud est singulare, quod Liquor Alcahest idem in numero pondere et activitate tantum valet millesimâ actione quantum primâ: quia agit sine reactione patientis. pag. ~~77~~6 sect. 10. de febribus, cap. 14o.

---

21 Elementa | Nostra namque ~~Mec~~ Mechanica mihi patefecit omne Corpus puta saxum Lapidem Gemmam Silicem Arenam Marchasitam Argillam Terram Lapides coctos vitrum Calcem Sulphur etc transmutari in Salem actualem ~~aq~~ aequiponderantem suo corpori: Et quod Sal iste aliquoties cohobatus cum Sale circulato Paracelsi suam omnino fixitatem amittat tandem transmutetur in Liquorem qui etiam tandem in Aquã insipidam transit: Et quod Aqua ista aequiponderat Sali suo unde manavit: Plantam vero Carnes Ossa Pisces et quicquid similium est, novi redigere in mera sua tria, unde postmodum Aquam insipidam contero. pag. 43. sect. ij. in Elementis.

---

22 Elementa. | Metallum autem propter sui seminis anaticam commixtionem et Arena quellem difficillime in Salem reducuntur. ibidem.

Quicumque

Notanda de Alcahest de Helmontio.

22 bis. | de febribus | Quicunque meditando charitatem proximi cordi habetis discite Solvens quod sit homogeneum incommutabile, dissolvens sua objecta in materiam primam liquidam: Et naturas rerum intimas rerum Essentias harumque dotes posse inspicere. Quod si autem ad istud Ignis arcanum non pertingatis discite saltem Salem Tartari reddere volatilem ut hujus medio vestras dissolutiones perficiatis. pag. 780. sect. 25. De febribus. cap. 15°

23 | de Lithiasi | Hic nempe Ludus est Lapis Saxifragorum apex, et Calculosorum desiderium: felix ille qui eundem calcinare potest ut jam monui: at labor suus requirit nedum lectionem et putationem sed plenam scientiam adhuc duplicitate obfirmatam: quia est labor Sophiae Adeptorum spes. pag. 700. sect. 23. de Lithiasi. cap. 7°

24 | de Lithiasi | + | liquor Alcahest destillatus | Accipe Ludi pulverati libram unam ac tantundem Liquoris Alcahest distilla hunc inde: et prima vice totus Ludus mutatus erit in Salem qui in patina vitrea loco humido decurrit absque ulla terrestreitate residuâ, et liquor defluens fulvi est coloris: hermeticoque sigillo clausus, bulliendo velut spuma supernatat totus in forma axungiae viridis liquatae: Estque Paracelsi Althoizoim correctum, ac fel terrae. Qui vero putat additamento Salis petrae vel similium, artificium istud assequi; is sciat eiusmodi Salia utut exquisite iteratoque Ludo commixta, sola tamen Salia defluxura, relictâ terrâ tanquam faece in patina. Ludus vero debet totus transmutari in Salem volatilem tinctum, nil quicquam reservantem de adjuncto Alcahest: ut potest tam liquor hic Alcahest quam Ludus servant pristinum pondus: Et ipse Ludus servat dotes minerales quas omnipotens Bonitas illi dedit. Est autem hoc opus longe difficillimum non quidem quoad praeparationem Ludi sed ipsius Alcahest. Vero quia vera dico, estque in nostris Adeptis probatio supervana omnem demonstrationem: Aristoteles enim

Notanda de Alcahest ex helmontio.

Enim non aliam agnovit scientiam quam quae e praeexistente sensuum cognitione pullulat. Sed de alia Scientia indemonstrabilis, in qua ipse Dator sui luminis manet Interpres, supra omnem Syllogismi ambitum; addo tamen certa Scientia quod totus Mundus ne minimam in se habet dubitationem moveat: quod in Tractatu de venatione scientiarum de professo confirmavi et palam feci. pag. 700. sect. 23. de Lithiasi. cap. 7.

25 — Arcana Paracelsi

Caeterum non prorsus frustra Paracelsus de Elixire proprietatis ex Croco Myrrha atque Aloe praeparato sibi fisus est, modo non erraret in eiusdem praeparatione: sed per modum Arboris vitae illud Medicamen contexisset. Nam ut Myrrha Mumiam custodit a putrescendi aptitudine si myrrhae aditus ad nostri constitutiva detur, non est cassa Myrrhae ad vitam longam authoritas. pag. 626. de Arcanis Paracelsi.

26 — Potestas medicaminum

Sensi tandem quod liquor Alcahest mundaret Naturam virtute sui Ignis: nam ut Ignis omnes perimit Insectas, ita Alcahest consumit morbos. Sensi denique quod Mercurius vitae a Paracelso inter quatuor Arcana relatus praeter igneam gehennae vim clarificet organa non secus atque Stibium ab admixtis purificat Aurum: quod idem de Tinctura Lili, Synonymo, censeo. Natura interim optat velut novo vere, resurgere sub hiis pharmacis. pag. 384. sect. 43 et 44. in Potestate Medicaminum.

27. — Pharmacopolium.

Novit Medentum vulgus sic Scammoneam castrari, ideo ut si acido Sulphuris vapori exponatur, plane orbetur sua virtute: tantumque Scammoneae decedere quantum aciditatis hauserit. Ast ego volens paterno animo corrigere furiosam Medicaminum vim, intelligo rerum pristinas vires manere debere, et in sui radice introverti, vel sub sui simplicitate transmutari in dotes alias ibidem latitantes clanculum sub custode veneno. Quo pacto Colocynthis laxativam atque deleteriam qualitatem introvertit, benefitque et imo via resolutiva Morborum chronicorum curatrix egregia. Id est

Paracelsus

27. bis Paracelsus in tinctura Olei Antimonii cum laude attentavit. Siluit tamen vel nescivit fieri idem in omnibus prorsum Animantium et vegetabilium venenis, per salem suum circulatum. Siquidem omne venenum istorum perit si in entia prima redigitur: hunc cardinem non Schola sed Electi Deo Medici, quos Omnipotens ex utero matris deligit, ventura aetate noscent; facietque Ovium ab hircis discrimen. Non castranda ergo nec mortificanda sunt magnarum potestatum simplicia, sed melioranda per artem, propter extractionem latentium vel per suspensionem virulentiae vel substitutionem unius pro altero, per adjuncta specifica imperativa. Hoc pro iis quibus datum non est degustasse potentiam salis circulati majoris: quaedam enim deposita sui feritate per adjuncta mitescunt, neutra fiunt assumptis videlicet utrimque viribus participative: Nec proin licet adjuncta hujusmodi mutuare à receptis dispensatoriis officinarum, quae non meliorationem aut saltem correctionem sed intentionem rerum docent, vel prorsus non nisi ludicra corrigentia perhibent. — — — — — Haec medendi pars solertem requirit ac gnarum Naturae scrutarium: quia in illa parte, amplissima Medicaminum opera, et deaurata Glaura supellex invenitur. pag. 374 sect 48. et 49. in Pharmacopolio.

Pharmacopolium

28

Tria prima principia.

Interim plures difficultates me dudum anxium tenuere circa tria prima, donec divina ope scitus sciverim ligna et herbas sine omni capite mortuo distillari: Mirabar enim pridem quod e carbone Mellis nullus cinis et per consequens nec cineris sal haberi posset: quae postmodum per universalem corporis analysim lubens aspexi. pag. 325. Sect. 17 et 18. in tribus primis principiis.

29

Aura vitalis.

Denique et illud notabile. / In vino nimirum esse Spiritum quendam mitiorem, alterius ac nobilioris qualitatis participem quam qui immediate per distillationem eliciatur, diciturque Aqua vitae dephlegmata: Quod facile in simplici Olivarum oleo

ad oculum

ad oculum spectatur: quippe distillatum oleum absq[ue] lateruum aut tegularum additamento, quodque oleum philosophorum dicitur, multum differt ab sua oleitate quae dicitur prius reducto oleo simplici in partes dissimilares, sola digestione et salis circulati Paracelsi appositione: siquidem sal circulatum idem in pondere et qualitatibus pristinis ab oleo segregatur, postquam oleum olivarum in sui heterogeneitates se dispositum: Dulce enim tunc oleum olivarum ex oleo prout et suavissimus vini spiritus a vino, hoc pacto separantur, longeque ab Aquae vitae acrimonia distinctus. pag. 576. ~~sect.~~ columna 2[a]. in Aura vitali.

---

30 | Scabies et ulcera. | Hoc etiam facit sal Tartari per spiritum vini rectificati, donec adstringentem gustum nanciscatur: ~~Est~~ est namque Balsamus Samech Paracelsi. pag. 261. sect. ~~30~~ in Scabie et ulceribus.

---

31 | (Imago fermenti. | Subtiliores et volatiles ciborum atomi facile per fermentum stomachi in gas ventosum mutantur, ubi pars reliqua dentaxat in succum resolvi contenta est: Chymia enim indagando sollicita est corpori, quae tanta puritatis symphonia colluderet nobiscum, ut a corrumpente nequiret dissipari. Ac tandem stupefacta est religio, reperto latice qui ad minimos redactus atomos Naturae possibiles coelibes omnia fermenti connubia sponderet ‖ Sed labor Sophiae anomalum in Natura fecit quod absque fermento commiscibili a se diverso surrexit # pag. 112 | iste ~~77~~. sect. 27 et 28. in Imagine fermenti | # Serpens seipsum momordit, a veneno reviviscit ac mori desinet.

...depravata ...ro est sua ...nsmutatio, ...nius de corp[us] ...n reproducta ...nubere.

---

32 | de Lithiasi | In Lapidicinis saepe sponte stillat sal nitrosum perpetuo stagnante: quod nempe saxa reddant in primam sui Materiam; proinde ut versa sedie petroso odore fermenti Aqua tota migrat in petram vel saltem pro parte quia sibi odor ille coaluit radicitus: idque tam interfluendum quam stagnandum. At nondum

largitati

de Lithiasi | Largitati divinæ sat fuit, Super ab ~~initi~~ initio saxa et Lapides fecisse, hincinde quæ propagandæ sobolis nova contulisse quo ex Aquis Lapides ac petra deinceps fierent; quin insuper voluit ut semen petrificum in multis excederet sua vegetabilia hisque illa potiora se testarentur. Nec enim semen cum Aqua sibi subdita solum petrescit, quin insuper corpus sibi contiguū odore seminis petrifici solo attactu petrificat. pag. 651 sect. ij. De Lithiasi cap. 1°.

33 de Lithiasi | Est nimirum in tota Natura universi tantum unicus Ignis, vulcanus ardens: ita quoque non est nisi unicus liquor dissolvens cuncta solida in primam illorum materiam absque sui ulla mutatione aut virium diminutione (quod norunt testanturque Adepti). In aliis vero liquorum activitatibus corpus nunquam potest se radicaliter commiscere liquori solventi: ideoque corroditur quidem at non solvitur intimè, uti ad transmutationem formalem alioqui requiritur: Nam omnis spiritus acidus rodens, rodendo aliud corpus coagulatur et propemodum fixatur, migratque in formam salis densati, nec quicquam tamen corpus quod arbitrium rodentis spiritus toleravit, agit in illum spiritum qui seipsum rodendo et actione propria coagulavit. Quod sanè non ita fit dum duo spiritus activi concurrunt in invicem, nam tunc est duplex actio qua uterque in utrumque invicem agit: ideo namque ejusmodi illorum actio fit cum permixtione radicali, estque constitutum ex ambobus inseparabilis mixtionis proles, et hoc transmutatum, et productum, neutrum ab utroque. pag. 678. sect 6 et 7. De Lithiasi cap. 4°.

34 de Lithiasi | Primo respondi, obstare Arcanum liquoris Alcahest Paracelsi, ~~obstarum~~ cuius nimirum Doctor Omnipotens etiam dispensator manere decrevit in Mundi usque confusionem ob rationes pro parte notas Adeptis. pag. 704. sect 2. De Lithiasi cap. 8°.

Nam

Notanda de Alcahest ex helmontio.

Nam utcunque ista Metalla (scilicet Aurū et Mercurius) per quædam
mineralia sibi adjuncta nunc specie olei, salis, vel sulphuris per
De Lithiasi | Retortam pellantur, horumque larvam mentiantur, ablatis tamen
ejusmodi adjunctis semper idem manet Aurum idemque qui ante
Mercurius redduntque in pristina corpora: Imò licet Aurum
radicaliter in partes heterogeneas salem scilicet sulphur ac
Mercurium se patiatur sequestrari, (quod nullatenus Naturæ
nisi per unicum liquorem constructivum est possibile) istud
+ Mercurii est homogeneitas simplicitas | tamen in Mercurii homogeneitate est Naturæ et Arti impossibile; quippe qui Auro est simplicior, majori anaticaque
identitate constructus. Quia in Mercurio non sunt separabiles
diversitates, quales alioqui in tinctura Auri, huiusque albedine. pag. 706. sect. 10 De Lithiasi. cap 8°.

---

35 De Lithiasi | Nemo Medentum curavit unquam Lepram, qui non fuerit
potitus liquore Alcahest; qui cum sit tædiosissimæ præparationis nemo etsi Artis gnarus fuerit ad sui constructionem pervenerit, quem Altissimus speciali dono, non eo
deduxerit: Particulari etenim privilegio sit oportet electus
ac dotatus si potiri illo medio debeat; per quod scilicet
tam sensitiva quam insensitiva sublunaria æqualiter penetrantur usque in radicem seminalem atque intrinsecam
primi Entis: Idcirco etiam cuncta sub se domat et
commutat absque reactione patientis, agentisque deperditione: etenim frustra est alioqui quicquid spei aliunde sibi persuaserit Lepra. pag. 714. sect 27.
De Lithiasi cap. 9°.

---

36 De Febribus | Etsi vegetabilium et Aromatum essentiæ sint, illorum tamen
salia volatilia (quæ numquam vidisti) sunt temperata: Adde vel
si oleum Cinnamomi, Cariophyllorum, Lavendulæ, etc. noveris
transmutare in salem volatilem, nactus es Medicamen temperatum,

efficiens

Notanda de Alcahest, ex helmontio.

de febribus

efficacia quantum de istis simplicibus sperari potest, in veteri vertigine, palpitatione, apoplexia, similibusque. Ergo qui claues Medicinae tenent hodie, cum nec adyta intrent Mortales arcent ab usufructu donorum quae Altissimus in Natura disposuit. Clamant ergo in Coelum praestantissimarum rerum potestates se velut frustra venisse, vix quemquam esse qui vincula earum soluat vel benevolentiam quam Mortalibus debent ~~soluant~~ persoluant; sed potius evasisse stuprorum et adulteriorum praemia. Illa ergo scientia quae docet inspicere corpora occlusa per sui analysim ac virtutes illorum abscon=ditas eruere, famula pharmaceuticae non est (ut sonant Ignorantium conuitia) sed potissimum historia naturalis termarsia est. pag. 778. sect. 7 et 8. de febribus cap. 15°.

---

37 Scholarum humoristarū passiua decep-tio.

Si enim sordes primis adhaeserint latebris, insistendum reso=lutiuis et abstersiuis, Natura ~~tot~~ tuto satagente reliquum. Sin vero penitiori recessu aliquid pertinacius occultiusque restiterit assumenda sunt Alcalia quae instar saponis omnia abstergunt. Mirum sane quantum sal Tartari vel vrinae volatile factum non praestiterit: nam omnem e venis amurcam detergit et obstruentium contumaciam; dispergitque Apostematum suscepta conciliabula: De hoc salis (non olei) spiritu verum est illud Paracelsi quod quocunque non attigerit vix alius potentior peruenerit: Externa autem tam topica quam interna vitalium potestatum suppetijs curantur, modo per diaphoresim cruoris clarificationem, balsamique noui tincturas ac redintegrationes intendatis. Maiora autem arcana ad remedij vniuersalis fastigium quodammodo ascendunt. Discite: Nam vendit Deus sudoribus Artes. pag. 802. sect. 89. in Scholarum humoristarum passiua de=ceptione. cap. 1°.

Notanda de Alcahest ex helmontio.

37 bis — *Spiritus vitæ.*

Est autem Aqua vitæ, liquor volatilis; oleosus, quatenus totus inflammatur; totusque salsus, quatenus acris, mordax, sicut ore detentus diutius epidermida gingivarum ac labiorum urat: unumque et idem simplex, sic duo tantum et non tria chymica initia continet. sic quidem ut pro nutu artificis tota Aqua vitæ sal fiat vel oleum. pag. 157. sect 3. in Spiritu vitæ.

38 — *Spiritus vitæ.*

Veruntamen in vino est iste Spiritus mitior quam Aqua vitæ quæ per distillationem elicitur: quod a pari spectatur in oleo olivarum. Distillatum enim quod vocant oleum laterinum vel oleum philosophorū / differt longe ab oleositate quæ elicitur ex oleo simplici, per solam digestionem cum sale circulato Paracelsi: separatur enim sal circulatum, idem in virtute ac pondere postquam oleum olivarum in suas heterogenitates divisit: Dulce enim et duplex oleum ex oleo olivarum prout et suavissimus Spiritus e vino separatur longe ab Aquæ vitæ acrimonia segregatus. Unde consequenter didici quicquid solo Igne distillatur procul a viribus concocti recedere: In nobis autem etsi cibus suo modo putrescat sit semper putredo ista sit medium transmutandæ rei in rem: attamen in digestionibus nostris per ista putrefactione (actionem inquam fermenti stomachici) non extrahitur Aqua vitæ ex oleribus granis pomis ac leguminibus: siquidem intentio Naturæ non est tunc procreare Aquam vitæ; estque aliud in nobis fermentum quo res resolvuntur in chylum atque illud quo res dimittunt de se Aquam vitæ: Nam herbæ dum per fermentum in Aqua putrescunt pro extractione Aquæ vitæ manent caudex stipites et folia integra in figura et duritie pristinis, quæ a nobis mansa in chylum vertuntur primamq̄ sui faciem amittunt. pag. 158. sect. 6.7.8. in Spiritu vitæ.

39 — ~~Spiritus vitæ~~ — *Complexionū Elementalium figmentum.*

~~Salis sulphurea~~ Sulphur vini ablato semine deserit Materiam Aquæ vitæ talem qualis est: Pars vero quæ in Sale Tartari fixatur

Notanda de Alcahest ex helmontio.

Complexionum elementalium figmentum

fixatur et salis conditionem assumpsit, erat pinguis; ante tota odorabilia volatilia atque eiusdem cum sociis conditionis: Immediate ergo destructo semine sulphuris vinosi nil nisi Aqua elementalis est. Sic omne oleum materialiter Aqua simplex est, quam pauculum seminis in massam conflagrabilem transfert, luditque larvam sulphuris. Estque omne semen, sui corporis iuxta Cosmopolitam vix octo millesima duo centesima pars, quam si Ignis in familiam mutaret non difficile fuerit quoque in Aquam redire: Ignis nempe odorana pinguedinem in Aerem totum ad nubes evolat, ibique in Aquā frigore loci quandoque concrescat. Pisces enim innati seminis vi Aquam simplicem in pinguedinem ossa carnesque suas transmutant: Non mirum itaque Pisces materialiter nil nisi Aquam transmutatam esse, et in Aquam redire per artem. Vegetabilia omnia quoque et carnes sola Aqua constare per mechanicam demonstrabo: Omnia vero si non immediate saltem cum adiutorio rursus Aquae naturam assumunt. Omnis quoque Lapis, saxum, lutumque in sal alcali sponte vel per adiuncta migrat (est enim Alcali, quod ante sal non erat, tamen combustione peracta sal residuum est). Sic omnis proprio suo alcali fit sal medium: Omne enim Alcali addita pinguedine in aqueum liquorem qui tandem mera et simplex est Aqua fit, reducitur, (ut videre est in sapone, Lazurio lapidis etc) quoties per adiuncta fixa semen pinguedinis deponit. Alioquin enim non Igni proprium, Aquam facere (potius flammam) sed duntaxat separare heterogenea. Ergo si ex sulphuribus fiat Aqua, et non per Ignis propriam transmutationem necesse est sulphura ex mera Aqua gigni: siquidem non separatur Aqua ab oleis, sed illa vero fit ex his, quia Aqua actu non inerat formali sed duntaxat materialiter detracta nimirum seminum larva. pag. 86. sect. 11 et 12. in Complexionum elementalium figmento.

Ligna

Notanda de Alcahest ex helmontio.

40 Blas humanū

Ligna putrida vix salem in suis cineribus relinquunt quippe sal volatile abcessit cum sulphure per fermentum putredinis: adeoque tantumdem salis sui volatile, in re; sive concreto, quantum saltem in cinere deficere reperitur: id est totum. Unde sequitur quod sal volatile tam a sulphure quam aba Mercurio repetitum, idem sit materialiter cum alcalisato; Ac proinde volatile alcalisatur et vicissim Alcali volatizatur, manente formale concreti proprietate. Sequitur denique quod sulphur Concreti distillatum, et sulphur Carbonis sunt eiusdē speciei, licet hoc carceratum illud vero liberum sit. hac quidē me docuit Mechanica postquam citra empyreuma sciverim separare tria à Concretis ordinariis. Didici nempe quod omne Corpus cremabile in se habet sal volatile quod assumptione sui sulphuris fixatur in Alcali: interim plerumque abundat pars, quæ colliquantis sulphuris volatilis amplexus aufugit, in qua colliquatione viget actio in rei sulphur: Quam intellige exemplo Aceti distillati, hoc inquam cum sit Aqua impraegnata sale acido volatili si quicquam actione sua aciditatis mordendo attigerit coagulatur confestim, quod postea per combustionem reperitur fixatum Alcali: Imo si Spiritus vitrioli acidus et volatilis corroserit Mercurium a'que volatilem, acidum vitrioli fixatur in verum Alumen. pag. 151. sect. 41. 42. 43. 44. in Blas humanum.

Mercurius

Arbor integra et ruinosa hominis. in 4°. Francof. 1657

Notanda de Alcahest e Francisco Osvaldo Gremba.

Mercurius itaque per arte nec in sal nec in Sulphur trahi potest facile: Nam eius humiditas, vel totus in sui natura immutatus ab Igne avolat, vel totus per semina transmutationem persuadeat:

Sulphur externum in ☿rio.

Continet tamen Mercurius aliquod Sulphur externum originale quod difficulter ab eo ~~separatur~~ tollitur, et profundissime commixtum est. Potest tamen arte hoc Sulphur ita separari, ut nihilominus pristinam retineat indivisibilitatem (Mercurius). Ex quibus apparet eadem fundamentum, Mercurium ex aqua et terra partibus conflatu esse. Mercurius ut sic spoliatus suo sulphure, nullo Igne mutabilis, nec se sinit amplius a sulphuribus et seminibus apprehendi quin statim consumat, excepto compari. In ipso Mercurio et suo Sulphure sunt fermenta fraedinis, odores et sapores; et spiritus corrosivi tantum dissolvunt sulphur, ipsum autem Mercurium non attingunt, qui intrinsecus de Mercurio vel in Mercurio dicitur.

Reductiones autem Mercurii in Spiritum Salem et Aquam imposturae sunt quia idem semper redit Mercurius, licet eundem non attingant, hinc inanis metamorphosis pro usu medico; si quidem Mercurius eludit artificum operam, servat semper impermutabilem ac primaevam suam identitatem, et identitatis suae anaticam homogeneitatem; et nisi hoc esset Ars non esset.

De quo sequitur Mercurium destrui non posse, quia Deus creavit in eo humiditatem, constantiam sui, assimilandam Mercurio metallico; quare respondendo dualitatem includit perfectam homogeneitatem: hanc ob causam nullum Agens reperitur quod suum semen a simplicitate aquae dividere possit, quia ubi nullus est modus heterogeneitatis ibi nullus est modus destructionis. Si enim esset divisibilis in partes heterogeneas Ars nihil valeret, et Mercurius operi esset ineptus, quia Natura nequit destruere semen quod mori non potest: hinc dicitur facilius est Aurum construere quam destruere. propterea Mercurius Auri tangi non potest, quia in Mercurio non est reperibilis diversitas: Omne igitur metallum fit per compositionem Mercurii cum Sulphure

Notanda de Alcahest ex Francisco Oswaldo Grembs.

Sulphure, sicut autem destructio fit ratione dualitatis sui Sulphuris: manet tamen Mercurius illius Metalli indestructibilis. hinc dicunt Alchymistae si millies destruxeris, a destructione redit longe perfectius. lib. 1o. cap. 7. Stat. 4. art. 19. 20. &c.

Nunc igitur cum constat dari posse Medicamentum unum curans omnes morbos, insudandum Artifici ut illo potiri possit, et cum Metalla mirificas dotes possideant; has tamen, intra corpus assumpta, nostro Archeo communicare non possunt, nisi sint aperta, et compagine citra deperditionem virium soluta. Via autem aperiendi difficillima est: labor omnis versatur circa adeptionem illius aquae universalis solventis, quam Alcahest nominant.

Laborarunt multi Artifices ut hunc liquorem perennem reperirent, ut autem Helmontius definit, multum requiritur: nimirum ut sit Aqua dissolutiva immutabilis immortalis et sal circulatum suum, qui reducit omne corpus visibile in liquorem sui concepti: Aqua haec licet polleat tribus vulgatis initiis sale Sulphure et Mercurio commixtis, non patitur tamen ullam eorundem separationem propter exquisitam materiae suae simplicitatem et stabilissimam constantiae suae perpetuitatem: Corpora enim dum ad summum subtiliantur ut non amplius possint, tandem abeunt in aliam substantiam cum retentione proprietatum seminalium; hactenus Helmontius.

Unde mihi persuadeo Alcahest ex Mercurio componi debere, nihil enim in rerum Naturâ est quod ad immortalitatem et penetrandi vim accedere potest quam Mercurius. Utrum autem id sit Mercurius vulgi vel Mercurius Antimonii subticet Author. Ex Mercurio autem Alcahest parari, colligitur ex progymnasmate minori N. 14o. ubi expresse dicit, Alcahest fit ex Mercurio spoliato suo Sulphure: Sic enim mundatus Mercurius a superfluo Sulphure et superfluo humido, tum

deinceps

Notanda de Alcahest ex Francisco Osvualdo Grembs.

deinceps nullo Igne in formam priorem potest praecipitari ob simplicitatem sui maximam qua Elemento aquae comparatur et ut sic nullo Igne est mutabilis, quia est Mercurius de Mercurio.

Describit quidem ut dixi, quid sit, et ex quo fiat: Modū autē distillandi non patefecit; licet insinuet aliquid dum dicit: Alcahest ex labore sophiae surrexit tanquam anomalum ex fermento commiscibili a se diverso: Ex quo liquet Mercurii sulphur externum per anomalum quoddam a corpore mercuriali disligari debere; quod fermentum insinuat, sicut vegetabilia per fermentū disligantur ita etiam mineralia. Felix autē ille qui noverit hunc occultū fermentandi modum.

An igitur sponte Mercurius privatus suo sulphure externo (internū enim sulphur inseparabile est) fermentetur ab Aere nocturno sub radiis Lunaribus (etenim multis in locis laborem sophiae sub radiis Lunaribus Helmontius vult peragi): vel qua alia arte absolvi debeat, dubium relinquitur.

Volunt aliqui quod praeparetur per Circulatum minus quod est omnium Metallorum matrix, cum quo Circulatum maius ex Mercurio sublimato per eundem praeparatum consentit.

Mercurius ut sic suo sulphure externo privatus, tandem per occultam et non nisi veris philosophis notam Circulationem debet ad summam puritatis et subtilitatis metam deduci, ut merito Alcahest vocetur salium summus qui cuncta penetrat, solusque agendo manet immutabilis, quaeque alia pro libitu promptâ resolvit obedientiâ, rebellemque omnem materiam non secus ac Aqua calida nivem liquat: hinc vocatur Ignis Aqua:

Per istū Liquorem sciri potest quantum luminis possideat vegetabile, et qua figura ornatum sit, omnia enim in succum sine ulla sui residentia in fundum vitri commutantur; qui succus adiunctis Alcalibus totus in Aquam Elementalem insipidam reducitur: imo tanta potestatis est ut corpora totius universi tangibilia traducat

in

Notanda De Alcahest ex Francisco Osvualdo Grembs.

in vitam eorundem primam, absque ulla sui mutatione, a solo autem compari subter iugum trahitur et permutatur.
Alcahest tanquam Ignis sulphureus conservat herbarum succos, hosque ad magnam entelechiam transfert, adeoque solo hoc Liquore vasis simpliciorum absque condimento alieno custodiuntur.

+ Alcahest non destillatur per balneum.

Alcahest per balneum non ascendit.
Soluta quaedam per Alcahest in tria dividi recusant sed solum in salem vertuntur: Id quod Helmontius per experientiam didicit.
Itaque apparet quomodo iste Liquor artificiose ducat ad interiora Metallorum solidissima compagine unitorum, faciatque ut artista semen attingat, quod est lumen spirituum in quodam sale volatili, neque ego dubito, cum iuxta axioma chymicum Qui novit Aurum destruere novit etiam idem construere, quin per Alcahest Aurum confici queat, lumenque solare per universale solvens extractum (quod alii animam alii semen alii Mercurium Auri appropriatum dicunt) si maritatur suo compari, Aurum efficiat. lib. 3° cap. 3° art. 14 &c. ~~[illegible]~~ 15. 16. &c.

Ex his apparet lucidissime quantum in re medica emolumentum afferat Chymia quae parat universale solvens seu Liquorem Alcahest virtute cuius solvuntur corpora solida seu Metalla, nec non omnia visibilia simplicia in primam sui materiam rediguntur: Eadem aquâ remedium Arboris vitae ex Cedro componitur: Ludus et Elixir verum Paracelsi ex Liquore Alcahest praeparatur: Non enim Myrrha a spiritu vini acido solvi potuerit sed a dicto Liquore dissolvi debet.
Caeterum non solum Alcahest medium est quo remedia parari et ad usum medicum revocari possint: sed ipse Liquor Medicamenti virtute gaudet velut Ignis mundans Naturam et consumens morbos.
Laudanda est hoc Chymia quae profert talem Liquorem, et principia habet non logismis parata sed per materiam cognita, et intellectum praeparat ad intelligendum occultum Naturae, quoniam ad primas

radices

Notanda de Alcahest ex Francisco Osualdo Grembs.

radices rerum cum maturatione vitalium seminum operatorem intromittit, et docet per Ignem quomodo fixa separentur a non fixis, et quomodo volatilia figantur, et Metalla sine adiuncto in salis aut sulphuris naturam reducantur: Separat porro odora a non odoris: Docet digestiones per appropriata fermenta, ut Corpora fatiscant et vires sub lucem prodeant: Durissima resolvit ut in succum domabilem retrocant nobis sociabilem: Chymia insuper nova non habet, sed decies millies experientiis consona; et posito quod nova forent, quid inde ac si damnum sagittis et fundis bellandum foret. lib. 3°. cap. 3°. art. 35. 36. &c.

Interim cum Mercurii substantia ita anatica sit, ut praeter illum Liquorem Alcahest nihil in rerum natura sit quod denudare Mercurii substantiam possit, ideo credo praedictas Mercurii operationes circa Sulphur exterius mortificatum, non posse tamen ut sic praeparatus Mercurius ea praestare quae si per Alcahest fuerit solutus. Itaque Paracelsus suum Corallatum (quod Medicamentum unicum est purgativum per sedem, curans ~~vulnera~~ ulcera pulmonum, vesicae, laryngis, renum, podagram) sic confecit; super Mercurium vulgi distillavit Liquorem Alcahest, in fundo residet Mercurius coagulatus et pulverabilis, nec quidquam in pondere diminutus, a quo pulvere cohobanda est Aqua albuminum ovorum donec Coralli colorem acquisiverit.

[Margin: * in tantum accommodari ut Mercurius operetur]

[Margin: + Liquor Alcahest distillatus]

Sic Lili tinctura per Alcahest elicitur ex Electro immaturo minerali, moriuntur enim in dicto Liquore venena mineralia, et remanet prima Materia Metallorum tanquam vinum vitae: sic nobilis Medicina mediante isto Liquore comparari potest. Omnes igitur Artistae eo omni conamine tendere deberent, ut si quid medico et Chymico dignum operari cupiunt, huius Liquoris Alcahest participes fiant: per hanc Aquam solventem universalem, et herbarum et lapidum essentiae nec non Mineralium dotes quae longe reliqua simplicia antecellunt, in agendi robore medicamentoso, comparari possunt. lib. 3°. cap. 3°. art. 83. 84. &c.

Helmontius in Napello ditiores thesauros reperit pro eradicatione alienatae phantasiae humanae, mediante Liquore Alcahest. in illo moriuntur venena, exaltantur dotes latentes; facile ergo esset medico curare Morbos per efficacia Mineralium remedia, si non difficilis foret praeparatio et adeptio huius Liquoris Alcahest. lib. 3°. cap. 3°. art. 91°.

Notanda quædam

De quodam Lapide medica-
mentoso quem Joan. Bapt.
Helmontius dicit esse
de inventione Butleri.

Hybernus quidam nomine Butler, magnus olim apud Jacobum Regem Angliæ, detentus in Carcere Castri Viluordiæ, misertusque cujusdam Baillij monachi franciscani celeberrimi Concionatoris Gallobritanni etiam incarcerati, formidandum Erysipelas in brachio habentis, quodā vespere cum desperaret Æger; in cochleari lactis amygdalini, intinxit velociter quendam Lapillum, statimque inde retraxit: Dixit autem Custodi Carceris; porrige isti Monacho hanc sorbitionem, et quantumcumque inde coeperit, saltem intra horulā sanus erit: Quod etiam sic evenit cum summa Custodis admiratione, Ægroque inscio unde sibi tam repenté sanitas affluxisset, cum se ignoraret aliquid assumpsisse: Brachium namq; suum sinistrum immensé antea tumidum concidit, sic ut statim ab altero vix discerneretur.

Sequenti mané a Magnatibus rogatus Viluordiam veni ut testis actorum sui: Contraxi itaque cum Butlero amicitiā, vidi etiam statim vetulam, lotricem; ab annis sedecim au cæcitate intolerabili hemicrania laborantem, statim etiam curatam me præsente: nimirum eundem Lapillum obiter intinxit cochleari Olei olivarum, atque Lapillum statim abstersit lambendo, atque eum thecam thoracis reposuit: Istud autē cochleare Olei infudit in lagenam Olei, cujus unicam

guttam

De Lapide Butleri

guttam iussit inungi capiti praefatae Anus, quae inde confestim sanata est, ac sana remansit in annos aliquot, quod attestor: Stupui quasi alter Mydas factus; at ille me obridens dixit, Charissime nisi eò deveniat quod unico remedio queat curare quemlibet Morbum, maneat in tyrocinio utcunque senex evaserit. Adstipulabar facilè, qui de Arcanis Paracelsi iam id visu ac spe certior factus didiceram: ~~sed~~ At nouum sanandi illum modum fatebar lubenti animo mihi insolitum.

Observavi quod istud oleum sensim deuoret medendi energiam: quia Lapillus obiter illi intinctus, non medullitus oleum per totum commutaverat, sed debili tantum odoris aspersione beaverat: siquidem Lapillus iste oculis ac lingua salem marinum fusum exhibebat; satisque notum est salem non permisceri intimè oleo.

Contigit quod Amicus fornacis vitrariae Antverpiae Praefectus atque heros, valde obesus; a Butlero obnoxiè petiverit liberari a molestia pinguedinis, cui Butlerus obtulit frustulū illius Lapilli ut lingeret semel sive leviter attingeret apice linguae singulo mane: Et intra tres hebdomadas vidi thoracem suum uno spithamo strictiorem factum, atque ab inde non minus incolumem vixisse.

Nec enim hoc loco sympatheticis speculor, ut credam Lapillū Butleri agere vi sympatheticâ: Et quidem hic demit distantiam obiecti donatque applicationem ad obiectum: Remedium scilicet est humano Archeo familiare, estque vis sua graduata in millecuplum ex Dei bonitate; adeoque respicit pacem ac quietem Archei in sui simplicitate.

Imprimis

De Lapide Butleri

Inprimis liquet quod Lapillus ille Butleri utut leviter cochleari unico olei intinctus, si cochleare illud olei in cantharum imo in cadum olei effundatur, totum fiet remedium: non secus atque pestilens odor totum vas inficit suo contagio.

Externa Remedii oblinitio quadam constitutione contiguitatis totum domat Archeum: non secus atque dens Rabidi, etiamsi optime in vento detersus tamen rabiem quandoque affert:

Ita et Remedia nostri Lapilli interius medentur affectibus plus tamen citiusque suos vibrant effectus, si oretenus assumantur: non secus atque venena quaedam sunt irrita nisi in apertam cutem deferantur:

Si autem vel obiter linguam attingerint huiusmodi Remedia non mirum quin statim totum Archeum potenti sui benevolentia afficiant, demumque Archeum a furore sedent, leniantque ab omni exacerbatione:

Quoniam Lapillus ille est de natura salis qui nullatenus ore illiquatur nec quicquam illi materialiter decidit, quod oleo cui intingitur decipiatur, praeter levem odorem: qualis est odor pestilentiae vestigii in peste; visumque mihi fuit in Sacris, huius Lapilli praeludium, Quod Unguentarius conficiet pigmenta suavitatis, nec consummabuntur opera eius: Id est quod si Lapillus oleo intingatur, vix tamen centrum virtutis medicae minuitur:

Idcirco si hoc excellens Remedium intro assumatur, tum nodum commutat cruorem in Medicamen Balsamo simile, sed ipsam et hominis excrementa, puta lotium, tincta remanent supereminenti bonitate sui: non secus atque Ova gallinae fagopyrum comestum sapiunt, lactantisque infantis lotium redolet Anisum si Nutrix oleum Anisi oretenus sumpserit: ita et lotium proprio lotione vel unctione sanat

unumquemque

De Lapide Butleri

unumquodque Morbum in habitu Corporis sedentem:
Tanta nimirum est Dei bonitas quod unicus Lapillus multis sufficiat myriadibus: ne se Medicus excuset circa Pauperes sumptuum expensasque exagitans:

Breviter Morbi omnes sanantur unico Remedio, unctione scilicet vel linguae attactu sive solo gustatu: eo quod lingua sit similis apertae pelli potissimum si mox succedens saliva deglutiatur.

Quod autem tanta huius Remedii sit potestas, non solum a venenis, adeoque a similitudine pestilentis aurae demonstrandum; sed quod quia longe potentius debeat esse Remedium omni malo, si illud superare debeat, et quidem velociter, adeoque sigillum divinae Bonitatis aliquatenus exprimere debeat:

Quamobrem ex indicatione ipsius Philosophiae statim conieci istud Remedium requirere ut sit Corpus semel resuscitatum semelque destructum: ac deinde quasi a resurrectione quodammodo glorificatum; adeoque ut sit amplius deinceps inquinabile a sublimariis vitiis atque maleficiis:

hinc sequitur quod debeat milleduplo quolibet veneno pestilenti esse potentius, et operativum absolutiori modo: Cum venenum sit simplex sedeatque in aura corporali:

venenum enim pestilens contaminatur quidem familiarius propter symbolum humanum, sed non est proinde potentius ~~[illegible]~~ virus. virus namque producit quidem virus iuxta prioris veneni normam atque fermentum, sed nequit supra se exaltare potentiam sui producti. At in Remedio resurgente a morte, benefica sui simplicis bonitas adaugetur in millecuplum, tenuique contactus odore diffunditur, dilataturque in medium statimque in obiectum Archeum imperat ut scilicet iuxta parem atque virtutem se componat:

sic nempe

De Lapide Butleri.

Sic nempe introducit arcanum, suae potestatis alumnū spei atque iubilus Archei verè existens, vitaeque superveniens:

Consideravi denique hoc Remedium non esse de monarchia vegetabili, utpote quae facile obnascitur, labilesq; nimiū sortitur propagines, quaeque ideo per artem vix renascuntur: utpote quae instar Animalium facile sub Artista moriuntur, vix tamen a morte resurgunt cum sub ignis tentamine vel prorsus pereant viresque priores omittant vel si quasi resurgere videantur, nova tamen sunt potius entia a priorum aut parentum orbitâ omnino seclusa.

Cuiuslibet Medicaminis vis propemodum in contactu ~~odoris~~ odoris ac suffitu quodam ferè momentaneo concluditur: nec est proinde tanta ratio commoti rumoris, quod scilicet per Lapillum condita olea suo statim odore sanent: Sunto ergo murmura Tyronum circa assueta alitorum. Vana prorsus tametsi mira videbitur ingenuis nondum insolita meditantibus, ~~vales~~ verùm soli subscriptioni assuetis, quomodo scilicet Archeus in furorem actus tam repentè vel Caduceo attactus obdormiat, vel correctus abstineat ab incepto sui nocumenti:

At certè minus id mirandum, cum naturaliter unumquodque esse atque permanere optet; facileque a sua ipsius noxa abstineat, modo docilis fiat aut sit ad pacationem moeroris aut furoris concepti:

Quod si haemorrhagia, ulcus, vulnus, ossifragium statim compescantur ac tutò sanentur, si extravenatus cruor pus saniesq; remedio absente obtegantur: An non poterit Lapillus oleum suo contactu imbuere, ut queat illitum subtus se sanare Morbum latentem? Siquidem nil aliud his denotatur verbis, Unguentarius

conficiet

conficiet pigmenta suavitatis, nec consummabuntur opera eius:

Cur enim minus sanandi Lapillus attingens linguam quam Aconitum linguam suo contactu tumefacit? paria saltem in authoritate ferre dena beneficia respectu morborum, si non multo augustiora atque plura.

Quod autem minimo fere puncto Medicaminis, Morbi profligarentur, Butlerus scilicet vi propemodum infinita aliquot myriades quotannis sanare posset, persuasit mihi Textus quod opera unguentarii illius non consummabuntur; atque dein teste oculo id credere debui, quod attactus sui Lapilli primo olei cochleare atque deinceps lagenulam integrã olei [illegible] vi medica: Multa sane diuque sum expertus ac tentavi circa Lapilli illius fabricam:

Credidi itaque et in herbacea familia esse Chamaeleontem itemque Persicariam, quae solo attactu dolores atroces confestim tollunt vel saltem sublevent: vidi inquam os brachiû Bufonis statim primo contactu odontalgiam tollere, nonnulla Caducum, similesque calamitates auferre: Credidi itaque et in herbacea familia remedium latere pro omni Morbo, at sane particularium tantum energiam obtinere; nequaquam autem ascendere ad universalem augustamque in omnem Morbû gubernationem:

Quapropter transcurri ad Mineralem prosapiam, longo aetatum fluxu ditatam: Inprimis magnam esse Lapidum virtutem, Sacris adminiculis credere debui:

Atque inprimis scivi quod omnium Gemmarum Color atque potentia e Metallicis mendicetur: Quod etsi in Gemmis claudantur vires metallicae, prae Chrystalli duritie; sunt tamen in Sacris commendatae pro magnis.

Consideravi

De Lapide Butleri.

Consideravi ~~atque~~ itaque quod in Metallicis corporibus eæd. vires Summarum familiarius confabulentur nobiscum.

Certum est atque indubium septem Metallis nomina Planetarū indita, quibus vires coelestes tam luculenter collatas credimus: at saltem totius Globi terrestris sumen sunto, ideoque et rerū pretio et contractationum desideria atque præmia.

Sed Pater pauperum non solem et Lunam, Aurum inquam et Argentum in usus Morborum disposuit pauperibus pro quib⁹ tamen eminenter sollicitus fuit: Ideoque Aurum et Argentū tam firmiter clausit quod omnem plerunque illudant Artificum operam, adeo ut quando maximè pandita putantur nil quicqua de pristinis obicibus remiserint:

Argentum autem etsi videatur quoddam tremulum, adeoque et hactenus pervium, nil attamen in tota ~~natu~~ naturâ serie æquè est conclusum.

Vix ergo centesimo millesimus Artificum, ne dum Seniorū laborantium, potitur Arcanis e Sole, Luna, atque Mercurio parabilibus.

Nunc ergo præter ea, quatuor Metalla quæ facilius ductui et optatui Artificum patent: adeo ut non frustra Paracelsus glorietur solo Plumbo forte ducentas Morborum Classes superari posse:

Nihil æquè victoriosè in humidum radicale agere potest atque primum Ens Cupri; vel ad vitam longuam sulphurato vitrioli esse benignius; ut potè quod idcirco Sulphur Philosophorum indigitat.

Mars demum quanquam pretio vilissimus, numerosaque prole spretus non postremus tamen pugnaci natura a Paracelso reputatur.

Profecto,

De Lapide Butleri.

Profecto Metallica corpora iuxta suos Mercurios clausa sunt sigillo anatico homogeneitatis aequaliter: Sed Sulphura illorum nequaquam nobis indignata, colloquia praebent, modo familiaria reddantur.

Quotcumque hactenus medici per causas occasionales ablaedem intenderunt, hi consequenter atque necessario opus habuerunt certâ morâ, et remedii quantitate, quâ scilicet superioritatem acquirerent: At qui deinceps sola restauratione, et alteritatis Archei restitutione Morbum conculcare intendere, fermentum scilicet placabile ~~[illegible]~~ inducere contendentes: hi sane spreta quantitate remedii, soloque fermentalis odoris attactu scopum attingere.

Lapillum Butleri atque eiusmodi potestatiuum fermentalium remedium, defectu nominis, nostra vernacula Drif vocaui: quod denotaret Arenam siue Terram virginem; itemque in sensitiuis simul propulsantem animositatem, non secus atque sabulum bullibus excutit quicquid peregrini sibi est insertum.

Itaque primo dicam requisitis Drif, ac dein compositionis modum quantum Philosopho permissum est declarabo ne rosas ante Porcos prosternendo:

Drif igitur in primis prout dixi exigit ut sit corpus quoddam Metallicum: utpote quod longa sui mora constantiam, non ante declaratam corruptionem significat: Coelique longo fauore suam compleuit generationis orbitam: quodque particulari destinatione ab Omnipotenti directum videtur pro miserorum pauperumque subleuatione:

Secundo non est Drif de Arcanis illis insolitis, a Deo non nisi paucissimis Adeptis, certis inquam tantum suis electis Discipulis, elargitis: Siquidem nec Drif duntaxat

in pauperum

in pauperum solamen destinatum videtur:

Tertio requirit Drif ut sit e corpore naturali, quidem Metallicae benignitatis participe, sed quod antea prius sit per mortem obsequens, apertumque: non quidem cum extinctione suarum virium, velut sponte defuncti cadaveris instar; sed retentis suarum dotium beneficio sit ab Artifice reseratum repagulis ~~reseratum~~ liberatum ac veluti ressuscitatum; imo Tna ditatum ac plane novum, redditque ab igne surgens:

Quarto, adeoque debuit resurrexisse velut a morte omnino volatile atque spirituale, sive bis terve sublimari, cum sibi additis aliis.

Quinto, at quia volatilia cito pereunt, dissipantur ac dissol=vuntur, etiam antequam intro admittantur, penetrent, ~~[illegible]~~ suasque excellentias de sinu depromant, aut sic Archeum paci=ficare queant; idcirco requirit Drif ut post sui volatili=tatem adeptam alicui Corpori amicabili connectatur, quo de=tineatur, suique thoro sit Corpori humano communicabile, nostroque Archeo gratum ac familiare: idque proin debet inter facile et non facile difflabile, medium velut sortiri locum: Itemque debet medio connecti dum iam eius fervor maximus fere mansuetus fuerit, ne scilicet volatile connectendo magna sui parte avolet:

Sexto, debetque hactenus, nedum sua corporis constantia, sed virium suarum extensione esse plane fermentale; adeo ut minima sui ~~ex~~ odoris participatione queat extendere suas vires in Archeum eundemque sopire ac demulcere:

Quo Senario ut describitur Drif: Ita pari numero eius dirigitur confectio. Inprimis in Libro de Lithiasi in ferculo Tyronum exposui Distillandi modum quo Spiritus Salis Marini cum terra figulina exsiccata prolicitur.

Ibi nempe

De Lapide Butleri

Est nempe Sal maris nobis affinis, et desiderabilis nec ullo sui tenore adversus.

Ergo pro Drif requiritur Sal maris residuum, in fece remanens, extractum scilicet a fece quae Caput mortuum dicitur.

Sal inquam istud, iam spirituum suorum noxiâ, affectus alienos eosque intra se recondit: non tamen prorsus pertinaciter fixos.

2° Docui similiter Veneris Ens primum non posse sequestrari nisi per mortem ac ~~[illegible]~~ separationem Mercurii sui a Sulphure: Quinimò nec haberi illud Sulphur nisi penes Adeptos, quorum numerus ut electus et rarissimus, ita et prorsus exilis est:

3° Docui insuper in vitriolo etiam Venereo iam depravata saepiusque distillata adhuc tamen superesse ipsam Venerem actualem:

4°, quaobrem ipsum Drif postulat saltem sequestrationem Veneris a fece vitrioli quae nec alias quam per Sublimationem completur

5°, quae Sublimatio quoque fit necessariò et adimpletur per Ens peregrinum fermentale, Archeo tamen omnino amicum.

6°, Ergo fuso Sale marino, et fece extracto, ante omnimodam eius condensationem illi commisceatur sub triplum Entis Veneris resuscitati sublimando, et comitati suo peregrino fermento, statimque sigillum cooperiatur.

Dum autem prorsus resurrexerit contunde in pulverem sub marmore, illique adiunge Uncias subduplum respectu Entis Veneris.

Quem pulverem cum Ichtiocolla soluta in trochiscos super lapide compinge: Et habebis Medicamen nobile.

[illegible]

Aqua [illegible] metallica [illegible] in qua [illegible] per distillationem [illegible] in [illegible] Distinguuntur [illegible]

1° [illegible] in fundo seu promptuario [illegible] incomprehensibili [illegible] 2° [illegible] ubi [illegible] Aqua sulphur inquinans [illegible] Metalla nascuntur suae coagulationis [illegible] Itaque quicquid generatur [illegible] in aqua molli, aquosa, lutosa   Lib. 1° cap [illegible]

[illegible]

Mercurius [illegible] Aqua [illegible] simplicissima [illegible] in corpus indivisibile, impenetrabile, [illegible] non habet [illegible] humido, calido [illegible] Sulphure Aqua [illegible] Lib. [illegible] cap. [illegible]

Aq[illegible]

Arbor integra
ruinosa homi=
ia. in 4°.
racofurti 1657

Excerpta ex Libro Francisci Osvualdi Grembs.

Aqua semine mineralium dotata, metallicū fermentum efficit quod sulphur dicitur: et est succus mineralis in quo fermentum residet ad metalli generationem faciens, iuxta species per directionem seminum electae: atque hac directione vita aspirant ut vivant, non per formam viventem in lumine animato, sed per materiam et efficientiam internum. Distinguunt chymistae tres vitas: 1a est in condo seu promptuario loci, Deus enim replevit loca Thesauro incomprehensibili qui Aquam induit veste. 2a vita seu media est ubi semen liquore vestitum Aquae sulphur inquinat. ultima autem indurescit, unde vi seminum Metalla nanciscuntur suas coagulationes. In Metallicis igitur quasi vita: nihil enim uspiam semetipsū disponit. Itaque quicquid generatur, intus habet dispositionem iacentem in aura molli, aquosa, lutosa. lib. 1°. cap. 7° sect. 4 art. 7°.

Metalla aperta, in salis naturam conversa, reddunt sua semina in gradum exaltata: et fiunt amulita si in sulphuris naturam extra adiuncti residuum reducantur; tum vires plantarias acquirunt, ut sit enim lucentia vim habere penetrandi illuminandique Archeum ut se reflectat super errores furores ac defectus: ut hoc autem praestent debent vita ultima possessione spoliari. lib. 1°. cap. 7°. sect. 4a. art 10°.

Mercurius ex Aqua elemento cum virtute simplicissimi seminis coaluit in corpus indivisibile, impenetrabile, quod inter generata par non habet, quippe natura sicca et humida, calida et frigida, mirabilium patrator: ex cuius sulphure Aqua perennis et vena conficitur: Dicitur etiam Metalli succus, item semen fermentum Regia, item Terra in qua seminatur. lib. 3. cap. 7. sect. 4a. art. 17°.

Aa.

Excerpta ex Libro Francisci Oswaldi Grembs.

Aes ab hæmatite per Cutiam purgatur: In Aere etiam reperitur Sal acidum appetitivum quidem ~~vapor~~ vapor acutus urinæ vel aceti accendit ut virorem induat, hinc fundit Aes Acidum minerale salis: quod tamen non est illud siquidem volatile veneris seu veneris Ignis cupreus, quod non potest haberi nisi cum plenaria destructione Metalli, et corporis mercurialis ipsius veneris volatisatione, id quod occultiori via acquiritur:

Unde Ignis veneris non est Spiritus vitrioli, sed est Sulphur Cupri volatile, melle dulcius, et a corpore mercuriali plane separatum, comparatumque ad vitam longam: Residuum autem manet album nec viridescens per æruginem, sed fit novum et anonymum Metallum. lib. 1o. cap. 7o. sect. 5a. art. 35o.

De natura Salis est Nitrum quod ideo vocatur quia primo inventum est in Nitria: vocatur etiam Salpetra: Aliqui Sulphur album vocant. Colligunt Nitrum fossores ubi Capræ degunt plus enim ibi colligitur: Elicitur etiam ex fimo dum fimus incipit incalescere; quando autem iam incaluerit inutilis est; Stillat porro in Lapidicinis dum Saxa in primam sui materiam redeunt. Antiqui habuerunt Nitrum purpureum salsum modice amarum, quod verum Nitrum appellabatur, hoc autem modo desiit. Si Nitrum coniungatur cum Sale communi et distillatur, placidissimum Spiritum Iurinum dat.

Post Nitrum occurrit Vitriolum quod Sal quoddam est acidum minerale; Latini Atramentum sutorium, Græci Calcanthum, Chymici vitriolum nominant eo quod sit translucidum instar vitri. Est autem hoc Sal in Mineris immaturus, quasi partus Sulphuris embryonati, qui si lambat venam Cupri dicitur vitriolum cuprosum, si venam ferri parit fontes acidos.

Vitrioli bonitas habetur in diversitate venarum non autem in opulentia aut saturitate: malignum fit si fumus Metallorum seu Arsenicum illi insidiatur: Lazurium præfertur viridi, sed facile ex

viridi

Excerpta ex Libro Francisci Osualdi Crembz.

viridi lazurium conuertere possumus: Græci inutiles distincti=ones fecerunt nominando Calcitin, Mysi, Sory, Melanteriū. Mirabile hoc est in vitriolo quod positum iuxta succinum accen=dendum et colorem amittat inuisibiliter, succinum enim ea magnetice ad se trahit.

vitriolum coquunt in fodinis ubi sal purinum Natura perficit, quod etiam Aeris spiritus corrodit, et fontis lam=bentis liquorem dissolutum qui in vitriolum abit. Fit etiam vitriolum ex pyrite marchasita erosa sulphure impraegnata, quo detracto et corpore Aeri exposito cum tempore acidum in medullis dissoluit acetosum, ex quo Aqua iuuamine vitri=olum fit: Cognoscitur autem sal purinum, quod per concentrationem et resolutionem erosum vitriolum producit: Arte paratur salo et sulphure per caementationem. Alij distillant super cinerem spiritum ~~viridis~~ sulphuris vel vitrioli donec bracteæ friabiles fiant cui affundunt Aquam viridē quam sinunt inspissari, et colligunt vitriolum.

Omne autem factitium vitriolum, nisi venus penitus destru=cta sit; naturali præferri non debet, eo quod factitium vi=triolum careat apporrhæâ illâ sulphuris cupri, unde etiam cupreæ viciniores primo enti vitrioli vim medicam ~~præbeant~~. tribuunt: Arte autem paratum hoc non participant, ob internum sulphur non facile destructibile: quicquid enim Ignis atrocitate auolauerit, vero adhuc metallum est. Lib. 1º cap. 7º. sect. 6ª. art. 34. etc:

Theoremata.

1 Omnia creata emittunt radios circulariter instar lucernae.

2. Radii corporum sunt de substantia ipsorum corporum a quibus fluunt.

3. Omnia in universo sunt magnetica.

4. Nullum creatum est continuum: Id est nullum est creatum quod non habeat partes.

5 Omnis motus fit in instanti.

6 Natura est ~~[illegible]~~ uniformis in omnibus actionibus.

7 Medii colores proveniunt a mixtione trium primitivorum cum lumine et tenebris.

8. Intellectualia in terrestria non operantur nisi mediantibus coelestibus.

9 Membra in centrum liquefacta radios emittunt qui linguam naturae conficiunt.

10. Centro in esse vel corda lapidis iniecto et inde in Morbidum ~~[illegible]~~ translato et infixo immediate curatur.

Problemata.

1 Omnia in universo sunt intellectualia sed differunt tamen gradibus.

2. Quo magis terrestria de coelestibus participant eo magis intellectualia fiunt.

3. Sicut corpora coelestia in speculis terrestribus videntur: Sic intellectualia in speculis coelestibus.

4. Praecedente conclusione cognita potest quis scire Urim et Thummim et quomodo facta sunt.

5 Sol est arbor vitae in medio paradisi.

6 Sol est verus lapis philosophorum.

7 Radij sunt pyramides sibi invicem concatenati per lumen.

8 Purum agens agendo non repatitur.

9 Amor, pondus, et magnetismus, idem sunt.

10 Omnes per magiam salvantur.

11 Omnia creata potius radijs quam cibo masticato vescuntur.

12. Calor non est accidens sed multiplicatio luminis.

13 Frigus non est accidens sed gradus caloris.

14 Mors in rebus est mutatio tantum harmoniae.

15 Nullum malum in Natura absolutum.

16 Malum ut vulgo sumitur est discordia tantum in musica Naturae.

17 Numeri et figurae sunt passibiles in atomis aeternaliter, activi in Deo, receptivi in spatio.

18 Ea creata sunt in augmento quibus plures atomi occurrunt, quam recedunt.

19 Ea creata sunt in statu quibus tot occurrunt atomi quam recedunt.

20. Omnia sunt idem in lumine.

21 Omnia sunt idem in tenebris.

22. Lumen provenit à Deo.

23 Tenebrae proveniunt ab atomis.

24 Diaphanum est cuius pori sunt recti.

25. Opacum est cuius pori sunt obliqui, vel quod non habet poros.

Albedo

26 Albedo non est color sed lumen.

27 Nigredo non est color sed tenebra.

28. Gradus colorum proveniunt ab aequalitate pri=
mitivorum cum lumine et tenebris.

29 Colores fluunt a proportionibus et ideo ijs respon=
dent.

30. Nec est gravitas nec levitas in Natura ut vulgo
sumuntur.

31. Pondus nihil est praeter magnetismum.

32 Materia omnium universalis, est eadem.

33. forma omnium universalis, est eadem.

34. varietas rerum a numero, figura, et distantia
tantum oritur: et per consequens a materia aliter
disposita.

35. Omnia mathematica fundantur physicis.

36 Pori sunt vacuitates in corporibus.

37. Omnia in mundo singulis 24 horis integrè
mutantur et renovantur.

Ex Andrea Tentzelio in 12.o

in Medicina diastatica
Jehnae 1629

Communis Pharmacopoeorum chorus et Medicorū, sub Mumiae nomine quatuor denotare solet. Primo Arabum Mumiam, quae compositio quaedā est ex Aloe Myrrha Croco et Balsamo, quâ Cadavera condiebant Deinde aliquantulo post tempore ex sepulchris eximebant cum sanie quae ex Cadavere exudaverat, servabantq; in usū medicum. pag. 1.

Secundo defertur quaedā Mumia ex Aegypto, ea non ex Aloe et Myrrha condimentū est Corporum, sed ex Asphalto: ut enim illis nempe Croco Aloe Myrrha Nobiles utuntur quorū tamen corpora effodere capitale esse refert Scaliger: Ita plebeios hoc saltem Asphalto adversus corruptionē corpora consuevisse munire Strabo author est.

Tertio, Cum vero eaedem huic virtuti tribuant quas Dioscorides Pissasphalto, idemq; esse dicant quod permixtum Pici Bitumen; interea vero neque vera Mumia neque nisi raro Dioscoridis Pissasphaltū habeamus, ex Pice Bitumine permixtam Pissasphaltū factitiam pro Mumia venditant.

Quarto; Insuper ex Hammoniorū Regione quae est inter Cyrenarum Regionem et Alexandriam ubi Arenarū syrtes, ventorum turbine sublatarum, incautos viatores obruunt: Sicque Arenarum quasi collibus et montibus obvoluti et sepulti, indeque admodum cito flagrantis solis aestu torrentur et exarescunt. Carnes cum humanis ossibus retorridas afferuntur, sine aliqua conditura ali=quove liquamine. pag. 2. 3.

Mumiam promiscue in Corpus assumere periculo minime caret, imò summè detestanda illa est nisi certo constet personam ex qua detracta est, in vivis benè constituto Corpore praeditam fuisse. Ideoque Paracelsus in tractatu 3.o de tempore

Ex Andrea Tentzelio

De tempore quintam insuper addit Mumiam, dicendo eam esse veram quæ Corporis sit, non naturali ex præcedenti Morbo sed violenta morte perempti. Supponit causas. Quemadmodum enim ex ordinatione divinâ nullum Animal ad cibum nobis assumendum nisi quod sana constitutione mactatum venit, ne scilicet morbida Semina cum cibo nobis conserventur; Ita multo minus Morbo prorsus enecata antea, pro usu interno toleranda, cum et Mora ipsa illum comitari possit. p. 4. 5.

Passer Troglodytes crudè cum Pipere solum et Sale mixtus et concisus a Nephritico comestus ad frangendū Calculum insignem facultatem exerit: quod quis a cocto vel aliter atq; aliter præparato illo frustra expectaret. p. 6.

Nihil quicquam nos alere potest nisi quod ipsum etiā alatur sitque vita præditum: quoniam nrā vita nostraque Mumia, nonnisi aliorum Mumia vitali et congenere; neque Corporis nri substantia, aliâ nisi illorū materiâ sustineri potest. Quin etiam quæcunq; ex his præstantiorem vitam degunt utiliora et salubriora nobis alimenta præbent. Consimilem rationem habet, quod para parte maximè, et u delectu quodam, gaudeat: Nostrum quidē Cerebrum, Animantium Cerebro; Pulmo, Pulmone; Jecur, Jecore; Cor, Corde; idque unicè ob Mumiæ et æmulæ substantiæ cognationem. p. 7.

Mumia propriè dicta est Substantia Corporis tenuissima, spiritualis, ætherea: Cuique pro natura ac specie sua ingenita in morte et post mortem aliquatenus permanens, cum affectionum tum virtutū eiusdem intimarum et proprissimarū plurimum

abundans

Ex Andrea Tentzelio.

abundans, indeque cum sumet, tum proprietatum suas, rite extructae Transplantationis constellatae medio mirè prodiga et foecunda, ad eum finem ut vel in suo vel in alieno subiecto Natura seu dispositio vitiosa morbidaue corrigatur, integra et sana conservetur et roboretur. p. 13. 14.

Sunt Muscae quae de Napelli frondibus victum capiunt. Et Cicuta hominibus venenum, Sturnis nutrimentum; p. 14 veratrum noxium hominibus, Coturnicibus pro cibo inservit.

---

vide Phthysicum usu et esu pulmonis vulpis reconvalescere: praedicto pulmone σωματικῶς duntaxat in pulmonem aegrotantis vero non nisi spiritualiter et secundum illas partes quibus membro isti convenientia est, recepto. p. 15

seu secundum substantiam, ventriculum

Simile de Paeonia masculo et baleno constat quod vel appensa saltem ratione amuleti, dummodo tempore suo balsamico collecta fuerit, ab Epilepsia praeservet. p. 16.

Num Avis apud Indos perhibetur esse, cui propterea Scaliger Cacoucora nomen fecit, quae non nisi aliarum Avium stercore alatur, ideoque omnibus omnibus illis familiaris sit, imo assidua assecla? p. 17

Quis veterum tradita, fabulae insimulet; quod cum lacte humano ferocissima Animalia, Tygres et alia nutriantur? p. 17.

Ex qua inter Sympathias specie, profluere arbitror quod secundinae aliarumque partium, excrementorum item aluinorum particulam duntaxat Mumiae ipsiusmet individui complectentium mala sepultura, ut qualiscumque tyrannica tractatio, ipsi statim toti individuo securim injiciat. Sic Zenith Juvenculae in Ignem projectum sistere ignem dicitur: sed cum dispendio virginis a qua fluxit, quia mori debet. p. 24.

Plures in Novilunio nati aequè inter se vel Corpore vel animo imbecilles sunt. p. 24. 25.

Pinguedo

Ex Andrea Tentzelio.

Pinguedo et Caro ursi, teste Mizaldo, in pixidibus et thecis asservata tum temporis augescit quando ursi in tenebris delitescentes per hyemem pinguescunt. p. 26

Lac matris pungit eo tempore, dum alibi infantes de defectu ipsius ejulare incipiunt. p. 26.

Pisi in Novilunio sati, licet in diversis agris usq[ue] ad extrema messis tempora flores subinde proferre numquam desinunt, nec ullibi fructibus perfectè maturis Dominos suos exhilarant. p. 26

Tamarisci radix incensa, inque Icterici urinâ restincta Icteritiã curat. p. 28.

Condylomata, hæmorrhoidali herbâ prius aliquandiu adhibitâ, postea Aeri commissâ mirabiliter sanantur. p. 28.

Transplantatio nihil aliud est quam mutua unius rei in aliam propagatio, beneficio proprietatis Mumiæ essentialis debito Magnete extractæ: indeque ex utriusque cum Astris rerum cognatione, in singularem utilitatem et fortitudinem ipsius ~~promotæ~~ promotæ. p. 33.

Quando humanum Corpus in Terræ gremio a morte relinquitur tum terrenam et tepidam velut putrefactionis speciem subit, spiritu intus suffocato, ut eius Mumia abominabilis et ad nullum usum propriè destinata sit. Non minus in aqua Corpus eiusdẽ elementi naturam sequitur, inq[ue] mucilaginosam putrefactionis speciem desinit, quâ similiter Spiritui vitali seu Mumiæ rei prorsus infesta est. p. 35.

Qui de Carne elixâ Lupi rabidi alicubi pasti fuerant omnes rabie correpti fuerunt. p. 39.

Ex Cadaverum pestilentium elixatorum iure, ostiorũ pessulis, manubriis, postibus illito; veneficia asperrimam pestem inducentia sæpè parata fuerunt. Cuiusmodi plura, nempe de Mumia veneficarũ, de pulvere sepulchrorũ pestilentialium,

de Mumia

Ex Andrea Tentzelio

de Mumia pestem attrahente et spiramate diabolico surrepto. etc. p. 39.

verum enim vero Corpus per Aeris interceptionem interfectum, nullam propterea impressionem tyrannicam in corporalem suam massam elementaliter perpessum, penitus indestructum permanet, elementali resolutioni seu putrefactioni minus obnoxium, donec sub vero coelo et in Aere ita conservatur: Idq[ue] propterea quod evolatio humoris aquei quae Aere et motu accelerata humorem oleosum balsamicum in suo esse conservarit, qui alias in consortio humoris aquei fuisset una evolaturus. Quod conspicue videre est in palisiguem pallis et Carbonibus fumo castigatur: quae eandem ob causam partim longissime durant, partim succum a libitum integrum retinere, et inde in delicias saepe haberi solent. p. 40. 41.

In confesso est, Spiritum Microcosmi Sulphureum in excrementis contineri: Non solum enim Aristoteles lib 2 de generatione Animalium cap. 3 docet Quod Solis calor et Animalium, qui mehercle a praedicto Sulphure minime discrepat, tam in excrementis quanquam a Natura diversis, quam in semine continetur. Et Fernelius 2 de ~~abdit~~ abditis rerum causis cap. 18; Et partes et excrementa tum Stirpium tum Animantium e vivis illis tacitas vires habere multo efficaciores, quam quae e mortuis eximuntur. Sed et noster Author Paracelsus cui propter variam experientiam abstrusamque rerum scientiam fides in hoc tutissime habenda lib. 1° de Tartaro tract. 2. 1° περίττωμα τῆς κοιλίας nil aliud esse nisi Sulphur dicitur: Et alibi passim, Sulphur microcosmicum in excrementis Alvi, Sal in urina delitescere, partem quidem egredi etiam; Mercurium vero eiusdem minime egredi, sed instar nutrimenti retineri. p. 69. 70.

Author noster tract. 1° de modo pharmacandi ait, Alvi περιττώματα non talia, qualia in ventriculo continentur, de

intestinis

intestinis quoque egredi; nullus enim tum usus fore, sed ulterius ibi a Natura praeparari, quo fine? ut cum ad expulsionem magis idonea (id quod ratione materiae dixi) tum etiam magnis arcanis, quod accessioni spiritus debetur, commodiora fiant ad maximorum Philosophorum testimonia. Quorsum interpretari etiã hoc Galeni cap. 1º. libr. 2º. de simpl. conuenit; Ex Angue saepe sanitas, Ex luto Lilium, et Ex fimo Morborũ profligatio. p. 73.

De processu Extractionis Mumiae spiritualis.

Primo in promptu sit necesse est Mumialis Magnes qui in Aere loco tamen umbroso exarescat (calor enim Solis spiritum sulphureum dissipando depopulatur) simulque in Terram reducatur: hoc siquidẽ modo noxius eius humor et quicquid excrementitij humoris insit, sulphur utile impediens cum foetore suo abolebitur, dictumque sulphur in suum centrum retrocedet: Paratum sic Magnetem super quamcumq; velis partem Corporis applica, permittendo ibi donec bene incalescat: Ad quod commodius perficiendum illa ipsa pars vel etiã totum Corpus motu cousque exercetur donec sudor hinc inde profluat: et data hac occasione Magnes microcosmi appetendo id quod suae Naturae familiare est, Mumiam nempe spiritualem sive spiritum aereum sulphureum hominis pro sua ~~cuiusque~~ cuiuscunque natura et proportione, haud minori alacritate et promptitudine, (ac de tractoria facultate Magnetis dicitur ad ferrum,) allicit; e parte sana et bene habente spiritum iuxta sanum et bene dispositum; e morbida vero languidum eiusdemque morbi labe coinquinatum. Velut appetitus iste ad sui similis coniunctionem in qualibet re naturalis est, facilisque partium subitei solutio, cum similia similiũ

vi trahuntur

Ex Andrea Tentzelio

vi trahuntur: cuius respectu illud Heracliti non absurdum   Omnia fieri per amicitiam et per litem. p. 74. 75.

Sequenti processu ad coeptam Extractionem auspicato continuandam opus erit. Sumatur Terra magnetica, in quam per fotum portio Spiritus mumialis recepta, inseminetur semen vel etiam herba implantetur appropriata cum Morbo tum ipsi Membro cui consultu velis, verbi causa in Icteritia semen Lini, Cannabis, bacca Juniperi; in hydrope Pimpinella, herba Ononidis, Absynthium; in Pleuritide Perforata; in Peste Scordium, Plantago; in vlceribus et vulneribus Persicaria maculata; et sic in ceteris sua cuique propria adhibendo ductoria: Crescant vegetenturque sub dio. Et sic operatio virtutis attractivae insigniter valere, perque naturam vegetatiuam, beneficio Spiritus mundi sympatheticè aut magneticè reliquas insuper Mumiae Spiritus haurire, perque id medium seminalem suae speciei rationem si illa à propria forma degeneraverit reconciliare eiusque dona denuò vendicare absque difficultate ulla poterit: Et hoc quidem ex congruitate formarum in utrinque adhibitis, Membro videlicet Mumiam Spiritualem suppeditante, et semine sive planta eidem conformi. Ideoque si Membrum obiectum languidum extiterit languor ipsius in eandem plantam seu semen simul demutabitur: Si vero naturali robore praeditum erit, rem etiam suo modo habebit. Idque omne praedictis medijs seu magicis quibusdam illecebris et praeparamentis quae coelestium muneribus capiendis satis idonea, promptè perficitur. Advertendum tamen est ad actus hos magis promouendum, pro Morbi natura diversaque conditione accommodatas Plantas

seu fructus

Ex Andrea Tentzelio

seu fructus aliter atque aliter esse tractandos: Verbi gratia Morbo existente sicco atque exusto, cuiusmodi Icteritia est quam fluidam resolubilemque exoptet, Plantam simul cum Terra magnetica in profluentem statim abijciendam; Ipso vero aqueo percepto qualis hydrops est, postquam beneficio transplantationis Aqua satis defluxerit Plantam cum Terra magnetica igne ad Morbum prorsus desiccandum oppido comburendam; Quod si vero ille ex ordine temperatorum fuerit cuius conditionis nonnullae Icteritiae febrium Erysipelatis aliorumque non nimis acutorum seu squalidorum species sunt, quorum nimirum essentia neque in nimio sicco neque humido, ibi dictam Terram cum sato fructu excalefaciendam; fumoque, ut sic temperate et paulatim consumatur, resiccandam esse: Quod si pecori aut bestiae, robore naturae Aegrotantem superanti exhibueris eodem illico affectu corripietur, in melius se recipiente illo. p. 80. 81. 82. 83.

Cavendum insuper etiam atque etiam ne frutex aut Arbor cum quibus Mumia illa e Membro sano commissa ullam iacturam patiatur aut abscindatur, sed sub inde omni studio vivida ac vegeta conservetur. Proinde Species illa vegetabilis Arbori frondosae et viridi iuxta radicem, in ipsum plane nucleum inseratur, foramine firmiter occluso, ut ita affluentius succus eiusdem hauriatur, ritèque singula accommodando operatio felicius succedat: p. 85.

Nec minus observatu necessarium hoc erit, quod nempe non raro contingat fruticem vel Arborem in quam Morbus transplantatur, citius ubertiusque iusto vegetari et augmentū sumere, qua vegetationis ubertate nimia Membro nonnihil periculi et noxae metuendum: Id quod Capillorū

exemplo

Ex Andrea Tentzelio.

exemplo liquidò constat, qui quidē ad citius crescendum in salicem transplantari solent, nec id quidē absq; successu; verum ubi ultra Naturæ terminum in ea relinquuntur non interim cæsâ aut combustâ, ipsa citatioris humidiorisq; illius vegetationis vigore, ad Cerebro et oculis nocendum motis plerunque doloribus ophthalmijs et id genus alijs non levem causam suppeditant: quam ipsam perniciem nonnulli etiam alii Phthysi et febribus ~~affecti~~ afflicti, suis interea rebus optimè consultum putantes, miserè incurrerunt: hoc unicè ex errore quod herbas et Arbores iusto citatioris incre-menti Mumiæ suis improvidè destinarint. p. 86.



Sedulo propterea prospiciendum esse ut pro personarum mem=brorumque affectorum conditione, rectè temperatam speciem ad id munus sustinendum, eligas. p. 87.

Quo in passu generalis fermè convenientiæ argumento com=mendatur Quercus arbor, scilicet duratione sua notissima, tardaque habens incrementa: hanc inquam ob causā aptissimam esse ut puerorū dentes primo confecto septennio excisi, ad aver=tenda quævis illorū mala dolorēq; per totam vitam quam Quercus facilè superabit, præservandum in ipsam transplan=tentur: Nec minore cum fundamento adversus κήλην puerorum cuneus quernus sumitur cum certa granorum hordei quantitate, super hac mingere faciunt puerū herniosū per aliquot dies; postremo sub Quercu manipulum terræ re=centis effodiunt, miscendo ipsam cum hordeo: Inde Quercum iuvenem dividunt ingerendo terram cum hordeo simul, cune=umque prædictum incutiendo non sine mystica Mumiali huic nostræ conformi ratione. Qua ipsa non minus forsan Arbusculam illam quam vocant Antiparalyticam, cuius sim=plici quodam germinationis modo innumeri Paralysi olim tempestate quasi pristino et naturali robori passim restituti, commendat. p. 87. 88.

ubi vero

Ex Andrea Tentzelio.

Ubi verò res eo modo comparata, quod Mumia ab alio extracta vivo corpori communicanda, illud quidem exhibitione partis vel corporis actuali effectum dare non impossibile foret, quemadmodum alias impotentibus ad debitum uxoribus solvendū glans penis cervi in ipso coitus ardore transfixi pulverisata cum castoreo; vel etiam semen ipsum cum piper conditum resiccatumque, dein cum Moscho Ambra et Balsamo Peruviano utiliter praescribitur. p. 88. 89.

Neque etiam ἀπρεπὲς hoc, sanguine vel eius quinta essentiâ, exemplo Patris ab ortu per totam vitam odio habentis filium ita ut in eodem conclavi ipsum etiam si absente audiverit tolerare minimè potuerit: de quo pulchrè Poeta

Non amo te volucri nec possū dicere quare
Non solum possum dicere non amo te. p. 89

Quod si enim sanguinem filij e Basilica sinistri brachij salientem in tantundem Alchoolis vini optimi per infundibulum recipias digerasque benè clauso vitro per plusculos dies postea distilles ex balneo mariae per Alembicū ad siccitatē et dein distillatae Aquae drachmam unam atque alteram in vini haustu Patri aliquoties jejunè exhibeas, mirabili admodū metamorphosi Animi dissidentium conciliabuntur, omniūque rixarum odijque fomites cessabunt. p. 89. Id quod pari successu in Coniugibus saepè fuerit quasi in perpetuas lites et iurgia agitatis locum habebit, prout piorum simul consolationibus accedentibus, malevolorum verò obstreperis gemitibus abactis explorata et confirmata multoties experientia fidem fecit.

Ita sanguis hydropici vel phthysici antea tamen ad ipsius astrum magis recludendum putrefactus, porro dein vel Cani cum pane aliisve cibis obijcitur, ad eius ~~a~~ quo missus antea ~~a~~ agritudinem fructuosè transferendam. p. 90.

Quo etiam illud Marsilij Ficini spectare videtur de exuctione sanguinis

Ex Andrea Tentzelio.

Sanguinis humani e brachio Adolescentis sani ad instaurationem virium in senibus. Item quod ab antiquo receptum, Balneum ex sanguine infantium sanare lepram et Carnes iam corruptas restituere. p. 90. 91.

Verum enim vero quis ipsas mi et Corporis partes nec non sanguinem humanum intra Corpus assumere partim abominandum partim etiam ratione nutritionis inutile et noxium, illud enim quod nutrit, non planè Corpori debet esse homogeneum, cuius causa nonnumquam res parum feliciter cessit: prout eius exemplum Faustina Imperatoris Antonij filia Sanguinem Gladiatoris quem deperibat bibentis, et loco amoris mirum sibi odium comparantis, teste Julio Capitolino: Nec non Romanus ille de quo Schrammius in fasciculo historiarum, qui sanguinem e propria vena manantem hauriens mira oblivione litterarum quas antè ad unguem tenuerat obrutus: tacendo iam sanguinem felis bibitum aliquando mirum furorem cum felinis clamoribus et gestibus induxisse abundè suppeditant. p. 91. 92.

Ideoque si Mumiam ab alio extractam alteri dare constitutum tibi sit, rem tutius egeris, si e transplantata illa accretum fructum tutum vel comedendum vel bibendum praescripseris, vel si inscio hoc ipsum intenderis, essentiam eius spiritus vini beneficio extractam quemcumque etiam in finem actione hac tua collimas, exhibueris. p. 92.

Singula terrena potentissimas efficacissimasque vires experiuntur proprijs sideribus benè feliciterque constitutis collustrata, et series rerum ab unaquaque stella, cui propria est desuper ad extrema usque pendet: Alia Solis, alia Lunae, alia aliorum Planetarum accessu radio et influentia vigent. Conversione motus Solis, Tiliae Populi ulmi et Salicis folia circumaguntur, ipsoque die alia quam pridiè facie coelum spectant.

spectant: Brumali autem Solstitio aridum Pulegium propendens e tectis floresscit vi admodum certa. Ocymoides noctiflorum non nisi noctu floret et odore flagrat. p. 98.

Cichorei, heliotropii seu Scorpiuri, Lupini, maluae Tragopodii, Ornithogali flores ab ortu ad occasum Solem insequuntur atque eum intuentur cumque eo vertuntur omnibus horis etiam nubilo die; exortu se pandunt, occasu se contrahunt. p. 99.

Trifolium floris colorem ter in die mutare obseruatur, et non nisi ad Solem haec vicissitudo accidit, ita ut mane candidū meridie purpureum vespere puniceum conspiciatur: p. 99.
Sic Lothum phoebeam esse rotunda tum poma testantur et explicatio foliorū eius die, replicatio vero nocte. p. 99.
Oriente Stella solari id est Syrio Parra auis ipso die non apparet, donec occidat. Tynni marini oestro corripiuntur, Oryx occultatur. p. 99. Solis etiam secundum quatuor dies quartas vigenteis actiones et circa vastissimū mare fluxu et refluxu suo perspicue imitatur. p. 99.

Nec alia ratione respondente Marsilio Ficino Gallum Leo vereretur; nisi quoniam Gallus Animal Solare est, inque eo ordine Leone ipso superior: unde etiam causa verior quam ab ullo alio a Coelio Rhodigino lib. 16 antiquitatū cap. 13 allata est, Cantus Galli Gallinacei quos certis viribus nocturnis inprimis proficit, quod nimirū hoc à singulari Solis influxu atque adeo a mutatione Aeris qui quidem noctu praesertim circa ortum Solis quando enixius Galli cantillant, admodum notabiliter alteratur, proficiscatur; quam alterationem inquam natura Galli vehementius et accuratius percipit quam aliorū Animalium, quia in serie rerum quâ unumquodque desuper a certa Stella dependet Gallus in ordine phoebeo proprie constituitur, idq; insigniter: Quo sensu non usque ridicula explodendaque penit^9 Sarracenorum opinio esset, quod dicant in Coelo magnū esse Gallū, cuius

Ex Andrea Tentzelio.

cuius cantum alii Galli hic in Terra Soli audiant et aemulari studeant toties quoties illius cantilationem percipiant. Eodem quippe sensu illud Platonis accipio, In Terris coelestia esse terrena, et in Coelo vicissim terrestria dignitate coelesti. p. 99 et 100.

Item secundum Pythagoricorum philosophiam Stellas grandia systemata esse in seipsis continentia quicquid in Terra et Aere et Aquis nos habemus in systemate nostro. p. 101.

Duplex Sors in homine Corpus nempe et vita: haec coeli afflatu suscitatur et regitur, illud Elementorum naturam sequitur. p. 101. 102.

---

horum omnium intuitu non solum Jamblichus Julianusque sed omnes studio huic intenti affirmant, In Sole omnes coelestium esse virtutes. Et Proclus ait Ad Solis aspectum omnes omnium coelestium virtutes congregari in unum atque colligi. p. 102.

Jam ad Lunam nos convertamus: Cum ea Ostrearum Conchyliorum et Concharum omnium corpora crescunt ~~decrescuntque~~ pariterque decrescunt. Materia et Sylvis caesa cum Luna crescente iam multo est lumine, quod humidi fiat accessio, brevi tempore marcet et carie conficitur: Caesa vero cum Luna decrescente exiguo est lumine, diutius perennat. p. 102.

Sic usu non paucis in re rustica compertum est Triticum aliaque grana ad certum Lunae statum Terrae commissa flatibus praesertim Aquiloniis certissimum ustilaginis prophylacticon praestare p. 102. Idem momentum Lunae est in quarundam Arborum insitionibus: tam enim ea ad eiusdem conditionem moderatur, ut quot dies insitionis tempore intercesserint ad ~~xx~~ Novilunium, tot annis nullus in ea Arbore servatur fructus. p. 103.

Formica in interlunio semper quiescit: Plenilunio etiam noctibus operatur. p. 103

Tam certum est Luna sub signis currente ruminantibus, Ariete scilicet Tauro et Capricorno purgantia caeliaca exhibita,

raro

raro optatam operationem et absque nausea vel vomitu perficere: Luna existente in Geminis non absque damno Brachii venam secari; eadem cum Ioue vel cuiusuis partis forti existente Planeta conjuncta, Pharmacū molestè mouere. p. 104. 105.

Ad conciliandā amicitiam in duobus masculis.

Quandocunque contingit quod vir quidam alterius amicitiam et fauorem singularem expetat, tum is ipse qui eo desiderio flagrat proprij Corporis Terram magneticam sumat adhibendo illam in singulis trium principalium Membrorum emunctorijs (quae vero emunctoria illa sint longius recensere hic sciens supersedeo) motoque corpore sudor prouocetur, singulam Terram magneticam seorsim retinendo: Postea in eam quā Cerebri mumiā dotata est, mixtam cum pauxillo Terrae recentis et foecundae ingere semen Origani, Basilicae vel Spicae, aliarumve Cerebro dicatarum herbarum: Crescant ita sub dio, et Cerebri spiritus ita transplantabitur, cumq. Planta subiecta mirificè vegetabitur. Similiter Terrā magneticam Cordis mumiā nobilitatam seorsim collocet cum Terra simplici et pura, inque eam herbas cordiales seminet, putà Melissam Borraginem Buglossā vel similia. In illam vero tertiam quā hepatis spiritus hausit, itidem cum Terra simplici antea mixtam insere hepaticas splenticas et nephriticas Plantas nempe Carduū benedictum Caryophillatam Rosmarinum, semen Ononidis &c. Et pariter Spiritus eorundem Membrorū in easdem se recipit. Has trinas Plantas seu fructus in Cucurbitam mittas extrahendo ipsius essentias beneficio Spiritus vini. Quam Quintam essentiam illi alteri cuius fauor appetitur exhibeas, in quocumque possis vehiculo. Quo facto Spiritus mumialis extractus statim in appropriata loca fertur, iisdemque homogeneus et amicus redditur

Ex Andrea Tentzelio.

redditur, sic inde eadem utrinque Mens, idem Animus in omnibus idq; propter illam concordantiam unionem.
Quod si Mumia duntaxat e Cerebro sudore extracta tum Mente et Intellectu seu Spiritu et facultate animali e Cere=bro procedentibus mirifice conveniunt: Si e Corde, Spiritu vitali et facultate e Corde provenienti coniunguntur: Si vero e Jecore et alijs inferioribus Membris tum Spiritu et facultate naturali seu concupiscibili appetitiva, subor=dinatisque alijs mirum in modum conspirant.
Trium vero principalium Membrorum Mumijs earumve essentijs exhibitis ut summa concordantia ~~Mumia~~ unio ejusdemque perpetua quasi conformitas, ita et amor et nullus non gradus amicitiae absolutissimus: Quodlibet enim in id maximo fertur desiderio quod sibi maxime simile. p. 120. 121. 122. 123.

Inimicos vel etiam hostes inter se placatos reddere.

Hoc itidem tribus illis Mumijs effectum datur prout in prae=cedenti discursu fuit ostensum: unico tamen excepto quod scilicet ab utroque illa emanare debeant, utrique etiam mutuo exhiberi. Quod si enim quis suam duntaxat Mumiam hosti suo concederet amore quidem in ipsum incitaretur, ut grata quaeque ipsi faceret, ingrata fugeret. Is vero alter susque deque omnia haberet, imo Cane peius et angue ipsum odio habere nunquam desisteret: Quamobrem in id annitendum erit ut mutuo concordantia fiat et idem utrumq; patiatur. Ideoq; amborum Mumiae sumantur cum spiritu quadam terra foecunda invicem misceantur, inq; eadem herba ad rem natura maxime destinata implantentur, ad utrique demum easdem porrigendum. p. 123. 124.

Cardanus

Ex Andrea Tentzelio

Cardanus refert; Canes, illius conversatione et insectatione maximé et indesinenter tendere, cuius sub axillis panem aliquandiu habitum sudoreque velut madefactum devoraverit; cui etiam in os hominis illius sputum saepius iniectum: vel denique cui de quisquiliis calceorum sudore hominis bené saturatis cum offa seu pane oblatio facta fuerit. p. 128. 129.

Ad mutuum amorem et desiderium inter Coniuges conciliandum.

~~+ + + + + + + + + + + + +~~ Ubi opus est Spiritus eorundem Rore magnetico beneficio e Lumbis extrahatur. etc. Instituatur vero Mumiae istius extractio sub Veneris exaltatione et quando illa feliciter configurata cum Luna et Jove. p. 131.

De operatione Antipathica

Quemadmodum ex artificio praedicto Sympathetico singulis Corporis partibus robur et sanitas conciliari, ita eisdem non minus per modum antipathicae oeconomia facultasque sua iam depravari, iam prorsus aboleri et destrui commodé posse, morbo succedente in locum sanitatis etc. prout hoc aliove modo Mumia earumdem partium tractatur: Quia vero hoc loco viam ad scelera, in quae alias Natura humana iusto pronior, consulto nemini aperiremus, monendum sedulo duximus, ne quis animum ad nocendum inducat, et hac arte sibi ipsi magis perniciem struat quam commodum: Iuxtá tamen praeterire non possum quomodo Mumia antipathicé liceat, bono tamen fine ex alio trahi et alijs concedi possit. p. 132. 133. Sumantur Cadavera Mortuorum vel etiam Mumia Corporis cuiusdam vivi infecti morbo aliquo sive febris ille sit sive hydrops correpti per quem modum satis hactenus monstratum, inseminationis scilicet herbae partibus principalibus dicatae coniungantur ut invicem vegetari nec non vescere commodé possint. Denique fructus ad maturitatem perducendus

Bestiae

Ex Andrea Tentzelio.

Bestia alicui obijciatur. p. 133.
Plurima hic equidem disserere possem, ad quos usus huius Capitis protenditur. Quale inter alia est quod Luna et quicumque introspiciat, certi cuiusdam Morbi seminario inquinari queat, cuius abusu Theophrasto dictante tota aliquando Regio in periculum conijciatur: Christiana tamen Pietas ea de re multo nomine, non enim nisi Τὰ ὠφέλιμα et vitae utilia scire debemus silentiū mihi imponit. p. 133. 134.

De utraque Icteritia.

Primò omnium in aprico habeatur e tribus Membris principalibus Mumia, ut sic totus Spiritus mumialis aliquatenus in tuam potestatem veniat. Icteritia enim per totum corpus sparsa est; implantetur semen Lini, Cannabis Chelidoniae vel alius quoddam Icteritiae ductorium. Icterico iuxta dentur Onysci vel eorū liquor, in quem vase aliquo in Aquam calidam immersi redigendi sunt; vel denique Anserum excrementa in vino dissoluta vel grana Juniperi: Eorū enim beneficio coloratus ille humor praeter naturam per urinam demittitur. Cum urina ista mumiata, seminaque intus contenta irrorentur tum seminibus crescere incipientibus, Spiritus Icteritiae in Plantam uberrime transportabitur, quam cum tota Terra mumiata postea vel in profluentem abijcias vel in Caminū fumo castigandum suspendas, pro modo scilicet et constitutione Corporis cuius sanationem hac tua actione exoptas. Quod si enim Corpus plethoricum praesto sit in hydropem nonnihil pronum, semen fumo consumendum suspendatur. Si vero squalidum et calidum ex Aqua remedium petatur. Hac arte nulla non Icteritiae species quae licet omnem Medicorū artem alias respuit, funditus auerruncabitur. Id quod inde duntaxat fidem meretur: Quod vulgo stercore equinū ad tria quatuorve scybala super quod aeger semel antea minxerit in vesica vel linteolo compactū in ~~Aeth~~ Camino arefaciant, nec non in Ignem postea conijciant. Eius enim laboris non raro, ipsius experientiae testimonio optatissimū

Ex Andrea Tentzelio.

optatissimum fructum reportant. p. 134. 135. 136.

De hydrope magnetice curanda.

Primò itidem Mumia e tribus illis vnius salibus evacuatoriis praestò sit, subiectum scilicet in quod Absynthij, Pimpinellae vel hirundinariae transplantatio fiat arte conducendae. Deturque Aegrotanti sal Absynthij vel Diacubebe ad particulam Morbi per vrinam deturbandum: Ea ipsa fructus imbuatur qui denique si in iustam perfectionem accreverit comburatur vel in Aere fumoue tabescat. p. 136. 137.

Contra Pleuritidem.

Mumia hic facultatis vitalis et naturalis ab axillis et hypochondrijs extrahenda: In hanc eandem Bismalua Carduus benedictus, Plantago, Melissa, Pulmonaria, aut quævis demum certo experimento huic Morbo dicata inuenta sunt plantanda. vrinâ interim eorundem salibus prouocatâ, praedictaque Mumia cum suis contentis ad auspicatiorem ~~Mumiam~~ vegetationem ritè communicatâ. Postquam ~~itaq~~ ita herbarum in debitam magnitudinem accretio dein euulsio inque vel fumo vel Aere exsiccatio, vel pro conditione Morbi in profluentem abiectio facta fuerit, tum etiam Morbi ipsiusmet sanatio in promptu haud dubio erit. Et ad eundem modum non minus Apostemata Pulmonum aliorumque viscerum hepatis scilicet Lienis et Renum hic felicissimam sanationem recipiunt. p. 137. 138.

De febribus mysterio hoc sanandis.

X Quamuis febrium curatio illa per Diaeteticorum opopyron, et si materia propter neglectam Medici operam dilatata fuerit, venae sectionem felicissima et perfectissima: nihilominus et haec alicubi suum obtinet locum. Extrahenda ergo hic Mumia veritam vitalis

Ex Andrea Tentzelio

tam vitalia quam naturalia loco et modo quo supradictum. Imo suaserim etiam ex Arterijs. Fiat postea eiusdem legitima cum herbis sanguinem corrigentib9 nec non putrefactioni non nihil resistentibus maritatio: herbæ huic usui inservientes sunt Urtica Fumaria Cheli=donia Centaurium Melissa Chamædrya. Urina quoque pellatur beneficio salis urticæ vel salvia vel baccarum Juniperi, quâ ipsâ postmodum terra magnetica debité nutriatur, obtentoque inde eorū incremento fructus vel in Aquam conjecti vel in Aere tabefacti medicationē simul febris absque mora præstabunt. p. 138. 139.

De oppilationibus hepatis Lienis &c.

Fiat extractio mumiæ imprimis parti affectæ natura=liter respondens. Hanc sequatur transplantatio in her=bas uti antea consuevimus appropriatas, ubi grāa hepate affecto in Rutam Epaticam Capillum veneris; affecto Cerebro in Maioranam helleborū nigrū Rutam Serpillum; Pulmonibus in Urticam Veronicā Pulmonariā; Splene in Scolopendrium Galeopsin Chamædrin; Renibus in Ononidem virgam auream Petroselinum Milium Solis &c. Expellatur simul urina, earunde herbarum salibus artificiosé præparatis, quæ humectetur terra magnetica ad vegetationē uberius promovendam. Crescentia postea inde in profluentē conjiciantur. p. 140.

De doloribus partiū ex oppilatione

Mumia harū partium ex Articulis petenda, eiusque inde in appropriata debita transplantatio instituenda. In his veluti cardo Curationis huius vertitur. Cæterum quod Rosmarinus Lavendula Salvia Saturegia Iva arthritica &c inter herbas primatum hoc in loco obtineat, nemini dubiū esse. p. 141.

De Podagra

Mumia hic Articulorū male affectorū helleboro nigro rité com=municanda; insuper medijs urticis urina provocanda ad terrā

mumiatam

mumiata citius foecundandam. Fructus vero in Aere marcescendus vel etiam in Quercuum arborem abscondendus &c. In Catharro Mumia Cerebri maritatione Caryophillatae gaudet, quae ideoque iustam magnitudinem adepta in Aere marcescat. p. 141. 142.

De vulneribus et ulceribus.

Ex locis affectis non minus ac in superioribus factitatum: Primo habeatur Mumia in quam inseratur per modum Transplantationis vel Persicaria maculata vel Solidago vel alia vulneraria parti affectae amica. Moveatur urina per Tartarum, imbuatur illa ipsa Terra mumiata ad capessendum nutrimentum. Fructus inde accrescens in Aere denique exarescat et Morbus sine dubio levabitur. p. 142

Ubi tamen notandum hanc eandem e magnetismo mumiali Medicationem non raro locum promereri, quamvis Mumiae extractio non ubique intercedat: In quibusdam enim casibus usu venit quod Organum laedens Mumiae saepius tactae absque singulari Medici directione iam antea participatum sit, praesertim ubi illud in parte affecta diutius haeserit infixum. Id quod in vulneribus locum obtinet, cultro clavo vitro aliquandiu inibi relictis, quod tamen ex temporanea transitione minus succedit, cum minima momenta vix effectum pariant; vel denique ubi quiddam successiva transmissione vel quacunque sua loci retentione cruore fuerit aliquando ~~transmissum~~ madefactum; Et sic transumpta Mumia aliqua parte vicem artificialis extractionis compendiose sustinet. p. 142. 143.

Ideoque cum quis eo modo laeditur vulneratur aut quomodocunque afficitur telum culter gladius inque vel Terram matrem scilicet et quasi germen genericum potentiarum omnium balsamorum (quamvis et hac ratione operatio ista eiusque eque minus habenda, ut ne Spiritus mumiales in organo haerentes evanescant), interim vulneri Radice ~~Chal~~ Colchici

contusa

Ex Andrea Tentzelio.

contusa et cum tribus quatuorve vini et Aceti guttis in Emplastrum mixta, ac similibus, ubi et fortior Alni mystica quadam vi locum omnino mederentur, deligato) vel quicquid demum balsamicum occurrit in Cardum balsama unguenta etc. infigantur: Inprimis tamen respicienda hic ea quae ex Mumia et Usnea, quae revera Syllogo quaedam est Spirituum Iliadi, nec non etiam Spiritus Mundi, quibus mediantibus activa passivis felicissime communicantur, constant. Quinimo nullatenus absurdum quod a non nemine observatum, in ulceribus cacoethicis inveteratis fluxionibus continuo madidis, etiam sanies putamini Nucis Balsamo seu unguento hopliatrico prius delibuto inclusam insque siccum Aerem sub udo coelo suspensam sanationi eorundem efficaciter profuisse. p. 143. 144. 145.

De herniosis.

Procuretur primo ~~Mundi~~ Mumia e loco affecto. In eam iam multoties repetito artificio plantetur Symphytum majus: Inde ad marcescendum suspendatur in Aerem. vel ubi beneficio Magnetis mumialis Mumia rite fuerit extracta eligatur Arbor resinosa, Cerasus, Abies etc. Ad cuius radicem Mumia collocetur, scissa Arbore per medium scissura tam capaci, ut Aeger illac sui transmissionem habere commode possit: Transmittatur ita ad ternam usque vicem in noie SS Trinitatis, in quo merito omnia inchoanda et perficienda: Idque inprimis die ♀ hora et die Veneris. Aeger quoque urinam ex abundanti mittat super Arboris radicem: Quo facto denique Arbor cerato debite agglutinetur. Ita profecto hernia contumacissima, reposita prius (quamvis alicubi nihil reposita fuerit sanata) brevi perfectissime curabitur. p. 145. 146.

De fluxionibus salsis dolorem noxios cientibus ut in Dentium et Oculorum doloribus.

Extrahatur eius loci Mumia et transplantetur in Persicariam maculatam etc. Quamvis compendiario processu idem

obtineatur

Ex Andrea Tentzelio.

obtineatur si radix Senecionis cum tota herba recens eruatur, atque ipsa dentes dolentes ad qualemcumque cruentationem usque affricentur. Si enim peracto eo Radix statim in locū pristinū et natiuum defodiatur inque vigore maneat, omnis dentium dolor et affectus mire sedabitur. p. 146. 147

De Menstrui ~~pl.~~ profluvio et retentione.

Circa hypochondria et umbilicum Mumia primo loco elicienda, in quam more solito Persicaria maculosa inseratur. hinc movenda urina ex lubito Pulegio ad Terram mumiatā humectanda: Denique Planta ad perfectionem adspirans vel in Aere resiccanda vel in Igne comburenda. In retentione Mensium Mumiae extractio ex iisdem locis iuxta tamen e mamillis etiam instituenda, inseminandū Pulegium quo ipso etiam urina provocanda. Denique Planta accrescens in aquam proiicienda. p. 147.

De Phthisi et hectica.

Extrahatur Mumia e tribus membris principalibus: Itē e Spina dorsi et Musculis primariis Corporis. Implantetur Satyrion et [illegible] simul permittatur. Tum porro in Quercum vel Cerasum transponantur, vel etiā ipsa Mumia in alterutram horum transplantetur et brevi melius habebit Aeger. Quid hoc in Morbo tinctura Mumiae cuiusdam sana Aegro exhibita valeat, de eo alio loco fusius. Est et alia huius magnetismi ratio ipsā praxi ~~periciore~~ notior et facilior. Coquatur Ovum recens in urina consumpti in ollula nova, ut urina ovum plane contegat ebulliendo donec Ovum indurescat. Exemptum ovum postea hinc inde perforatū in eadē urina recoque semper vertendo illud donec urina plane consumpta fuerit. Postea Ovum sic paratum in acervum formicarū sepeliatur, et Ovo hoc consumpto mirabili Sympathia tabes desinit. p. 148. 149

Processus

Ex Andrea Tentzelio.

De Ariduris particularibus.

Processus ad superiora magnetissimi exemplum nihil particulare habet a reliquis praeterquam quod Mumia ex inferioribus et superioribus Articulis partis affectae petenda. Ideoque ut ne eadem chordâ semper oberremus sed et utile dulci misceamus ad aliud tam universalis quam particularis Ariduræ praestantissimū Remediū nos convertimus, et quidē ex hac eadem arte magicū sympatheticum: Illud Amuletū est ex particula loculi seu feretri paratum, quo in feretro puerpera partus difficultate extincta superque spinam Dorsi collocata et tumulata fuerit. Vis enim vegetativa auctrix et nutritiva puerperae quae in spina Dorsi potissimū est sita inque feretrum deposita iam a Corpore vivo priori illi subiecto symbolico et affini, ex alieno promptè attrahitur et assumitur. Ex hoc eodē fundamento Mumiā illam foecundam et insigniter nutritivam puerpera licet adhuc in vivis ut et aliae personae plethoricae et ἔυσαρκοσ suppeditare possunt, ita ut e spina Dorsi superimposito praedicto Magnete extractio: Inde vero in herbas convenientes implantatio instituatur, quae ipsae herbae post postmodū Aegrotanti intro exhibeantur. Adeò certè nullus ullibi affectus tam vehemens aut pertinax quin remedium ex hac nostra praxi ab eo quod vel maximè dissentaneū videtur incredibili cum successu ipsi adaptari possit. p. 149. 150.

De arcenda Sterilitate.

Extrahatur necesse est Mumia facultatis vitalis et naturalis e spina Dorsi sub axillis et hypochondrijs Corporis cuiusdam maximè foecundi. Illa dein transplantetur in Satyrion vel quod quibusdam melius visum

in Chamaeleontem

Ex Andrea Tentzelio.

in Chamæleontem nigrum: eoque ipso vegetatione ul=
terius producto sterili comedenda datur, qui nihilominus
circa foecundum ut plurimum degat; prædictamque herbã
cum toto ad collum adpensam gestitet, et pari foecunditatis
laude cum illo altero brevi nobilitabitur. Hoc ipsũ
in quã illustrissimis familiis hæredibus insperatò destitutis
secundum Deum summo sæpè fuit solatio. p. 151

Nec minore cũ successu etiam sano cuidam (de homine tamen
hic mihi sermo non est) robur viriũ et sanitatis derogare
inq; alterũ deponere hac eadẽ Arte pollicitur, idque per hanc
viam, Extrahatur Mumia e Corpore inculpata sanitate
prædito, implantetur Chamæleon nigrum quod deinde
vel in substantia vel in essentiã antea redactum languido
exhibeatur. Ad collũ insuper appendatur Ægerq; subinde
circa sanum et robustum habitet. p. 152

Eodem modo Equo potera vires detrahere suas, easq; homini
pro libitu largiri: Misceatur sperma Equorũ robustissi=
morum cum Terra simplici, implantetur Chamæleon
nigrum. Et postquã in iustam magnitudinem excreverit
ei exhibeatur cuius vires auctas velis, e collo insuper
suspendatur, circa Equos robustissimos subinde langui=
dulum relinquendo. Sic Equis robur quodammodo
ablatum homini substituitur. p. 152.

Notandum tamen Radicem prædictam ab ipso Novilunio
statim implantandam esse, denuoque eradicandam duobus
tribusve ante Novilunium diebus. p. 153

Quod ipsum pari successu et in aliis Bestiis locũ meretur
quarum ita facultatem cum homine partiri expedit
prout sagax Magus rem undique accuratius consi=
derabit. p. 153.

Recipitur

Ex Andrea Tentzelio.

Processus spiritualis Serpentis Mumiam transferendi. p. 163.

Accipitur Sperma Serpentum, Ova scilicet, tam corporalia quam balsamicae Mumiae eorundem τὰ στοιχεῖα καὶ σχήματα: Cum Terra pingui miscetur, cui semen committitur vel herba inseritur usui praesenti maxime commoda. p. 163. 164. Maioris tamen efficaciae ergo inprimis ad Ingenii acuitatem transplantatur in in appropriatum quendam fructum Cerebri, inspergendo nempe Terram externis Cerasi radicibus. Cum enim fructus ipsius cum nutrimento plane balsamico sive magnetico Spiritum mumialem Serpentis hauriunt et in se convertunt, adeoque virtus et qualitas Mumiae in Cerasis postea micat. Ex quibus denique Spiritus industria vulcani elicitur, pro robore et acuitate Cerebro et Ingenio mire comparandis. p. 164.

Pari successu Corpus praedictum Serpentis Spermaticum viti immiscetur, e cuius Uuis postea Spiritus extrahendus: Quo item modo eidem frutici Theriaca per modum transplantationis inserenda, ad omnes Theriacae virtutes in fructum ipsius, idque longe excellentissime et subtilissime deponendam. p. 164. 165.

Insuper alius adhuc modus datur Spiritum Mumiae Serpentis ex omnibus simul partibus eius in herbam transplantandi hac ratione; Sumuntur Serpentes seu Colubri includuntur in vase vitreo ad suffocandum eos et quasi putrefactione in viscum redigendum, qui ipse vel in arborem transplantetur, vel et cum Terra uniatur ad legitimam herbarum implantationem. p. 165.

Non absimili processu e praedictis animantibus quae propterea vel et aliarum mirandarum virium causa, in

depositione

Ex Andrea Wenzelio.

depositione scaviarum non parum gliscentium, cum universali illa Medicina si quae eius generis in Natura potestate est, multum participare omnino crediderim praestantissimum Arcanum contra Morpheam Lepram &c. quae alias nullis fere (dico fere quippe qui hic essentiam sulphuris vitrioli nonnihil posse plane confidam) antidotis medicabilis ~~credendum~~ sperandum : p. 165. 166.

Sumantur serpentes, sanies seu sudor ipsis usitato modo subtus pedibus ipsos a capite ad caudam usque extremitates ~~et~~ arcte detrahendos abigatur; et caro abiectis cauda et capite quae tamen ad alios ~~usus~~ effectus multi et secreti usus sunt, cum reliquis omnibus, Juniperi radicibus prope stirpem in usque earum nucleum foramine cum pruni sylvestris cuneo clauso transplantetur: sic decursu hyemis beneficio naturalis Juniperi caloris qui temperatissimus est in suum primum Ens redigitur, et veniente aestate spiritus vegetabilis Juniperi balsamum seu spiritum ipsius nutrimenti ~~loco~~ loco allicit, in tantum ut fructus seu baccae inde facultatibus vulgaribus illis dentur longe excellentiores, ~~quam~~ Quippe quae sequenti ἐγχειρήσει in arcanum seu elyssum elaborata nobilissimo et vere admirando Medicinam contra Lepram dicabunt remedio. p. 166. 167. Recipe baccarum praedictarum Juniperi, contusa aquâ fere fervente superfundantur addita debita quantitate fermenti ad integrum ~~biduum~~ octiduum ita praematurandum et omnia in unam mixti massam ita reducendum. Quod ut felicius cedat quotidie semel atque iterum agitentur. Postea distillentur per vesicam ab initio mediocri tantum Ignis gradu, continuatâ

operâ

Ex Andrea Tentzelio.

opera auctiori, donec Spiritus amplius non distillet, qui ipse quoniam cum phlegmate simul permixtus erit, in balneo Mariæ per Cucurbitam rectificetur, idq; etiam altera vice per phiolam: Et sic Spiritū Juniperinum præsto habebis. p. 167. Deinde ex capite mortuo ulterius calcinato lixivium fiat et porro sal per evaporationem: Cujus salis librâ unâ in phlegmate priori resolutâ cum Argilla optima bene exsiccata sufficiente quantitate misceatur ad formandos pastillos per Retortam optimè loricatam ex furno arenæ distillandos ita ut baccarum manipulum unum atq; alterū receptaculo imposueris, primò lento opus est Igne ad phlegma capiendum postea fortiori, ita, imò in fine fortissimo ad usque candefactionē Retortæ ad Spiritus propulsationem. Ex capite mortuo denuò sal præparetur qui cū argilla Spiritu præhabito madore suppeditante adhuc semel miscendus et distillandus in Spiritum. hic ipse demum in balneo sicco per Retortā vitream ita agendus ut primo loco phlegma seorsim colligatur. Dein ipsū Arcanum guttulis progredientibus flavescentibus in vitrum hermetica signatura clausū reponendū et insolandum. p. 167. 168. 169.

habebis hoc modo Remedium prædictis laudibus vere dignissimum. Siquidem Baccæ Juniperi ipsi Lepræ per se in tantū appropriatæ sunt, ut absq; dubio primam Iliadi ipsius omnino, secundam vero eius ætatem ex parte etiam superare valeant, hoc est non solum ab ipsa insignitè præservent, sed et initium eius tollant; Jam mystica hui⁹ artis præsidio unitisq; seorsum penitioribus facultatibus in summū usq; gradum exaltabantur. p. 169.

Ex Andrea Tentzelio.

Advertant hic ad ea quae pestem curant et abigunt morbum profecto prorsus mineralem ex resolutione Yliadi arsenicali oriundam. huic remedia vulgaria ex vegetabiliū familia quoquomodo quicquam derogarent, cum unicuique Morbo prout causam habet ita etiam curam analogicá expetat! nisi contra interveniente coelestium luminum tanquam Mumiae vel Sympathyrae verae spiritualis coopera=tione, magnetica quadam mumialisve impressio sive astronomica transplantatio ipsis vel naturaliter combinata esset. hac sine pleraque illa vix nobiliorem operationis suae titulum merentur, quam characteres et signacula quorū quidem per se nulla, at quatenus iis secundum artem (adeptam) influentia conjungitur plurima efficacia est: Quam con=junctionem si negas vulgari Naturae rythmo scriptus, ea tamen vel invitus concesseris quae cùm Mente cùm Suadentia, tum utentis (Mundi Regina) imaginationem et fide in nobis, adeoque εὐπάθειαν erga spiritus stellares confervente per=spicue intercedit. Naturalis enim generis transplan=tatio in peste Camandreâ contingit, quae mirabilis in ipsa sub eo praesertim climate in quo crescit. p. 176. 177. 178.

Similis coelestium transplantatio etiam in Persicaria apparet quae non solum per vires attractivas naturales sed etiam per influentiam omnia vulnera et ulcera, dolores dentiū et similes affectus ex subtilibus salis fluxionibus persanat de quo Paracelsus in libro de Persicaria. p. 138.

Artificialiter ab eadem virtute mumiali ~~Sympathy~~ Sympathica ut opinor proficiscitur via sanatoria radicum Cichorii, quod hora et die veneris Regione solem tenente effosarum, eas dun=taxat vulnera absque symptomatibus ad sanationē perducant. Cui simile, quid paucis ab hinc annis inter Magnates quoque innotuit de ligno fraxini, quod referente Schedula

a nobili

Ex Andrea Tentzelio.

a nobili amico accepta, a puero nouennali versus orientem in taleolas desecandum, sectioneque peracta verbis quibusdam vsui deuouendum, ad dolores quoscumque arthriticos Podagram nempe Chiragram Gonagram Dentium nec non ad vulnera illic solo attritu, hic vero sanguinis duntaxat imbuitione sanandum et compescendum. p. 178. 179.

Quis dubitet de virgulto Sambuci super Salicem crescentis mense ~~octob~~ octobri paulo ante Nouilunium collecto inque nouem taleolas inciso, decantatissimo ad Epilepsiam remedio. (quamuis Abbas quidam de radice in ipsa meridie diui Io. Baptistae deorsum reuulsâ pro Amuleto idem referat) rationem eius maxime a mumiali transplantatione nimirum per excrementa Picae, verum eiusdem Mumiae Magnetem facultate antepileptica, Spirituali quadam Sympathia mediante semine seu granis Sambuci antea a Pica deuoratis in ipsum Sambucum transplantata, expetendam esse. p. 179.

An non Mumia dicta Spiritualis Sympathica artificio euidenti adiuuatur in vero Paracelsi Zenechdo contra pestem? Quamuis enim idipsum cum ex Arsenico principaliter componatur occultam quandam similitudinem habeat cum veneno pestifero: sicut enim Magnes Spiritum ferri in se habet qui ferrum tanquam sui simile impense rapit; ita quoque hoc Diazenech ad venenum Microcosmi pestiferum, quia spiritus pestis actiuum obtinet, tamen syderea eius compositio inque certas signaturas efformatio sub capite Draconis et signo Scorpionis quod Sol et Luna vel alteruter horum tenuerit, tantam virium eius aciem instruit ut et in peste astrali, arsenicales Coeli infusiones ex eius singulariter in ista Media inclinatiua virtute (de quo passim inprimis de vita longa de coelesti Medicina, de Vesicaria &c) longe felicius excutiantur. Id quod experientia et viua demonstratione callent, qui a peste et venenis quibuscunque aliis pestiferis eius beneficio conseruati

Ex Andrea Tentzelio.

conservati fuerunt, et veram eius Componendi rationem norunt. Sic lapis Bezoar vim quidem ab initio contra venena accepit a Jove, sed non usque adeo validam ut eandem et aliis Materiis tradere possit exercendam. p. 179. 180. 181.
At vero quamprimum sub Scorpionis influxu figuram superni illius acceperit, perfectam contra Scorpiones vim subito reportare putatur quam Mastici aut Thuri communicare valeat. p. 181

Simili modo Paeonia indicante non solũ eius virtute sed et nomine phoebea est, idque per se, si vero dominante Sole sua utendi rationem ineat longè efficaciorem experietur. p. 181
Quo nomine quantopere praedicatur annulus Martialis ille, partibus dolentibus vel gestatus tantũ vel affricatus ad dolorem Dentium, Capitis; Spasmum, Quartanã, Epilepsiã vertiginem, Apoplexiam, Pestem et alia praeservanda et demulcenda. Cuius propterea inventorem fratrem scilicet ordinis divi Augustini Magnus Hetruriae Dux de non aliis vendendo privilegio ad aliquot annos donasse dicitur. Cum tamen is ipse ex uno Clavorũ duntaxat (propterea aliquantisper longiusculo, ut ungulae incussus satis promineat) quo Equo ferramenta affiguntur, ea parte qua ungulam penetrat in hora Martis in ea figura fabricetur ut ad quemlibet digitum iam constringi et angustari, iam amplificari possit.
Equidem Theriaca communiter praeparata ut cetera sub Luna qualescumque Stellarum sunt, ita et ipsa potissimũ Solarisque est: quo nomine etiam contra venena et fluxus epidemiales quoscunque laudatissimos usus habet. Sed multo laudabilior foret si insuper opportunum observatione coelestium tempus eligeretur dum componitur, eoque velut susceptaculo Sympathica superiorũ facultas ipsi excipiatur. De quibus abundè Ptolomaeus, et Paracelsus

Theophrastus,

Ex Andrea Tentzelio.

Theophrastus, Albertus magnus, Marsilius ficinus, Rogerius Bacho, Turneisserus, Crollius etc. arcanorum Naturae uberrima praelucente experientia, scrutatores vere dexterrimi et optimi. p. 181. 182. 183.

De tempore ad Operationes propositas coelitus destinato.

Cum ergo tanta coelestium Corporum secundum varias virium suarum eiaculationes potentia sit; cuius respectu Philosophus in 4° Physicorum superiora tanquam formas eorum quae ab ipsis continentur, profitetur; Terrenarumque omnium omnes substantias facies ~~vere~~ vires a sibi quacunque simili eorundem vultu pendeant: Id quod Scaliger expresse nobiscum concludit sive Mundus coeperit sive aeternus sit, Et Plato docuit desuper ab unaquaque Stella seriem rerum illi propriam usque ad extrema pendere: merito dicendum hic foret quae Coeli conditio ad quamlibet propositarum actionum speciem maxime conferat, vel quibus gratiis Coeli hae nostrae gratiae potissimum conciliantur. p. 109.

verum quia in nulla re magis coecutiamus quam quae Coelestia attingit, quod ipsum nos apud Jobum cap. 38 docemur his verbis: Numquid nosti ordinem Coeli, et pones rationem eius in Terra. Ideoque crassiori duntaxat quaedam ad hoc caput spectantia commemorabimus. p. 109. 110.

In iis ergo operationibus in quibus Cor Spiritusque vitales clientuli sunt, patronum eorum Solem fortunatum potentemque eligito: Item Lunam ad hunc opportune directam: Sitque ideo Sol in Angulo Ascendentis aut decimae, medium supra caput obtinentis Coelum aut saltem in plagis quae Angulum mox succedunt: sub Ariete etiam vel Leone adspiciente ipsum Luna maxime in Leone. Observatum enim est adeo tunc Spiritum vegetari, ut muniatur contra venenum

Epidemiae

Ex Andrea Rentzelio

Epidemia repellendum, quod perspicue apparet Marsilius refert in Babilonia et Ægypto, regionibus spectantibus ad Leonem: ubi Sol Leonem intrans Epidemiam sedet. p. 110. iij.

Potest etiam observare quando Jupiter Solem trino aspiciat vel sextili: vel saltem quando Luna ab aspectu alterius procedit ad alterum prospiciendum: maxime quando ab aspectu Solis ad coitum cum Jove progreditur: Jovem enim cum Sole Ptolemaeus docuit perfectissime consonare. Quoad mansionem Lunae in igneis nempe Ariete, Leone, vel Sagittario benigne Jovem aspiciat et Solem. p. iij.

Plurimum quoque expedit tum diligentia Cor rebus cordialibus intus et extra fovens tum etiam victus ex alimentis subtilibus multum tamen et facile et salubriter nutrientibus. p. iij. Motus sit frequens et levis: Aër serenus temperatus, praecipue laetus Animus. p. iij.

Naturalis virtus gubernatur a Jove cum participatione ♀ et ☾: ubi ergo robur afflandum genitalibus, ☾ et ♀ eligantur; siquidem ♀ foecundat hominem facitque laetum. Ideoque ea in felici aspectu sit cum vel ☉ vel ♃: quod idem etiam de ☾ intelligatur: Non ergo sit eclyptica nec cum radijs ☉ per gradus duodecim ultra citraque nisi forte sit in eodem minuto cum Sole; Non sit in detrimento vel praepedita a Saturno vel Marte; Non sit opposita Soli nec lumine minuta nec tarda cursu; Non sit in via combusta, nec in octava sexta vel nona; nec in finibus Martis aut Saturni; neque alteruter reperiatur in sterili signo Cancro virgine vel Capricorno. Sin vero haec minus in potestate tua sint Jupiter saltem despectetur vel venus in ascendente vel medio Coeli, sic enim subveniunt detrimentis Lunae; aspiciatque Jovem aut venerem per aspectum trinum vel sextilem. p. iij. 112

Naturalis vero virtus quatenus Jecori praeest et Stomacho

inprimis

Ex Andrea Rentzelio.

inprimis Iouem requiri propitium: sic ideoq; in Cancro vel Sagittario vel saltem in virgine. p. 112 113
Vbi humor simul respiciendus Luna in Pituita obseruetur ad Solem, in Bile ad venerem, in Atra bile et ad omnia ad Iouem directa sit. p. 113

Haec de operationibus et templis quibus naturales actiones facultatesque subsunt. p. 113.
Ad quae tamen haud inutiliter referri queunt quae Astrologi de facultatibus illis ministris dictitare solent; virtutem attractiuam, igneis iuuari; retentiuā, terreis; digestiuā, aereis; expulsiuam, aqueis. p. 113

In negotio ergo attractiuam roborandam conuenientes Luna praedictis dignitatibus praedita discurrens per signa Arietis Leonis et Sagittarij; retentiuam Luna eligatur in Tauro virgine et Capricorno signis sterilibus, conducet etiā si felici radio cum Saturno coniungatur. Et si Luna in dictis signis non extiterit sufficiet eligere tempus quo aliquod ex actis signis in horizonte fuerit. p. 113. 114.

Si digestiua subsit, cum ea vigeat per affluxū Iouis in calido et humido Luna sub Libra, Geminis et Aquario constituatur, Iouique si fieri potest configuretur: Quod si vero Luna in dicta trigonia haberi nequeat consultum erit eligere tempus quo signum aereum in Ascendente sit. p. 114.

Expulsiua denique indiget influxu lunari, ipsa existente in trigonia aquea, in Piscibus Cancro Scorpione (inter quae tamen Pisces praerogatiuam obtinent) vel dum vnum e praedictis signis in ortiuo horizonte fuerit. p. 114

Quod animalem facultatem attinet; ea qua Intellectum respicit a Mercurio; quae sensus et motus a Luna cum Ioue et venere gubernatur. Si ergo optimè dispositi sunt inque domicilijs aereis inprimis subiunctis igneis, inprimis Iouis felicitas exoptetur: Non paruam enim potestatem ipsum in animali spiritu habere testantur Astrologi, dicentes

Iouem

Ex Andrea Wetzelio.

Jovem ad Philosophiam et veritatem religionemque conferre!
Et Plato ubi ait a Jove Philosophos proficisci: Quod etiam
homines Antiquorum opinione dicens. Talis mens homi=
X ninum adducit. Qui tantam in Animali Spiritu autho=
ritatem habet ut caduceo quodam suo Animos tum consopire
tum suscitare dicatur; quo ipso nihil aliud insinuare vo=
luerunt quam quod aspectu suo sic aut aliter habente
modo obtundere et debilitare, modò acuere et corroborare
Ingenia ~~pe~~ hominum possit. p. 114. 115

In omnibus vero praeponderatia universalis cujusdam
consentientiae argumento suspiciendus ~~e~~ Jupiter est, in quo
scilicet uno omnes quasi gratias coelestes complectamur.
Attendum quoque etiam quale Corporis membrum intersit,
quaeque signa ipsi dominentur malè affecto, curandumque
ut luminaria inveniantur in signo ~~illo~~ illi Membro prae=
dominante aut saltem ut tale signum in horizonte ortivo
scandat. p. 116

At si neutrum e horum obtineri nequit, sufficit Luna
obtinere signum ejusdem Quadrantis non interim neglectis
horis Planetarum quas vocant. p. 116.

Denique in quovis affectu eligas addictos suos Planetas
eosque vel in Ascendente, vel bono loco ipsi configuratos.
Qui autem Planetae quibus Morbi praesint satis fuse Ma=
ginus tradit in libro de legibus Astronomiae in Medicina
usu. Nobis hic pro conclusione huius capitis unum atque
alterum exemplum sufficiat. p. 116 117.

In Oculorum cura magnetica, Jupiter tempore transplan=
tandae Mumiae in quo veluti Cardo omnia vertitur, de=
prehendatur in Ascendente vel in bono ad ipsum loco, caven=
daeque ~~Stellae~~ constellationes Oculis nocentes: De quibus
Maginus cap. 3. lib. 4. Neque Luna sit in signis terreis
aut Marti coniuncta, sed in Ariete potius ut et reliqui

huius.

Ex Andrea Wutzelio.

huius sensus Patroni. p. 117.

In hydrope, dum Mumia per extractionem comparanda venit Luna stet in signis aqueis Joue non nimis forte, neque corporaliter cum ipsa coniunctio: At quando defodienda transplantandaque ~~est~~ illa est, summa igitur gaudeat feli= citate, idque Cancro Sagittario aut virgine, aut si horum nihil sit signa ista sint in ortiuo Ascendente. Luna sit decrescens lumine minuta aut ad minimum feliciter directa ad Solem aut Martem quem etiã aliquantisper fortem esse hic nihil impedit. horum autem qua haec omnia fiunt Joui addicta eligatur. p. 117. 118.

In sterilitate detentis eo momento vbi Mumia (cuius extrahendae vbiuis eadem conditio est) Terra miscenda adque Morbi transplantationem herba plantanda, nec minus etiam cum fructus aut semen Agro exhibenda, Luna suis essentialibus dignitatibus excellat, inprimis vero gau- deat Jouis et Solis faustis aspectibus: Neutiquam illorũ a Saturni corrupto positu commaculata sit, nec in Cancro; virgine aut Capricorno, horaque planetaria veneris eligatur. p. 118.

~~In~~ Jisdemque gratijs Coeli inprimis tamen veneri, Soli, et Joui exponatur Phthysicus. p. 118.

hoc modo in praescriptis operibus, coelestium nempe harmonia ad id undique consonante efficaciam huius Philosophiae dubio procul experieris longe optatissimam. p. 118. 119.

Thesaurus Naturae

[illegible]

Caput I

[illegible]

[illegible]

Thesaurus Naturæ

in quo tractatur de extractione Mumiæ spiritualis, et Mysterio magico Arboris Scientiæ boni et mali.

De quibus agit Paracelsus in libello de tempore et in libello de origine Scientiæ.

Caput Ium.

De Mumijs hominis vel Microcosmi.

Quatuor sunt genera Mumiarum, prout sunt quatuor Elementa virtute diversa: Ita diversæ sunt corruptiones et mortes quæ per illa causantur, nam corruptum corrumpentis naturam induit: exempli gratiâ si Corpus hominis intra Terram corrumpatur transit in naturam terrestrem quæ videtur inutilis: Si in Aqua fiat corruptio istius Corporis humani, aqueam et mucilaginosam naturam acquirit quæ pro conservatione Spiritus vitalis est inutilis: Sed per Ignem, pellitur ex Corpore omninò Spiritus.

Cum autem hæ tres Mumiæ ad vitæ conservationem sint prorsus ineptæ, id antipatheticè duabus de causis fit. Prima causa est quia tria Elementa Aqua Terra et Ignis Corpus ita corrumpunt ac destruunt, ut in suam primam materiam redire illud cogatur. Quia verò Terra et Aqua sint receptaculum Elementorum vivificantium, ut Ignis et Aeris, quæ solum in non corrupto Corpore conservantur, hinc est quod a dictis tribus Mumijs evolet Spiritus vitalis. Cum verò in Mumijs nihil aliud quæratur quàm quod est aptum ad conservationem vitæ, imò ipsam vitam quæ nihil aliud est quam Aer qui a prædictis Mumijs abest, hinc non potest ab illis nisi Mors extrahi. Eadem ratio valet in elementatis etiam his quæ per ægritudinem moriuntur: nam licet non visibiliter per Elementa externa, Aqua Ignis et Terra

et Terra corrumpantur, fit tamen ab externis Elementis in ~~terris~~ internis quadam invisibilis corruptiva Influentia: hinc bella intestina unde mutuò se occidunt ac corrumpunt, in uno tamen corpore aliter quam in alio, prout unum Elementum alteri prævalet, unde provenit diversitas Morborum ut hydropis ex impressione Ignis, Lepra ex impressione Terræ: ubi autem ~~talis~~ talis Elementorum corruptio fit, ille mumialis Spiritus, cum ipsius habitaculum dirutum sit, discedere cogitur, per autem Mumias antipatheticè operatur.

Si vero Corpus sanum absque omni infirmitate per Elementum Aeris id est strangulatione occidatur, nulla fit elementalis impressio in corporalem massam Microcosmi, sicque manet incorrupta nec transit in ullam resolutionem quandiu in Aere conservatur. Cum ergo habitaculum sive Corpus balsami vitalis sive spiritus integrum manet, non cogitur ille aereus vitalis balsamus Naturæ, corpus deserere quandiu Corpus non resolvitur vel a Natura vel ab Arte, vitalis enim balsamicus Spiritus manet in non corrupto Corpore: Quare solum talis Mumia Microcosmi ad conservationem sanitatis extrahi ~~potest~~ debet. Advertendum est ut persona sit ab omni cogitatione libera, alias antipathetica erit operatio.

Cap. 2um.

Quomodo Mumia Aeris ex Suspenso ~~extr~~ extrahi debeat.

Cum Paracelsus balsamum Mumiæ tanquam certum Medicamentum ad conservationem vitæ laudet, imò vero in eo virtutes Auri potabilis et Macrocosmi inveniri asserat, eius extractio consideranda est quæ triplex est.

Prima Extractio fit per putrefactionem, nempe quod Membrum aliquod Suspensi putrefiat in vitro clauso per mensis spatium ut in viscositatem abeat vel mucilaginem, ex qua fit expressio: Expressus liquor putrefiat quadraginta diebus, a quo per balneum Mariæ separatur

Thesaurus Naturæ de Anonymo.

separatur Aqua; in Cineribus, Aër; et in Arena vel in Cineribus, Ignis. Quæ Elementa per se rectificanda sunt, ac per separationem Phlegmatis id est Aquæ conservanda sunt separatim Aër, sive Spiritus; Ignis, sive Oleum; Caput mortuum sive quod remansit reverberetur donec albescat ut Nix; e quo, mediante phlegmate sive Aquâ separatâ ut supra extrahatur suum Sal: Deinde coniungenda sunt ista tria Principia, atque in occluso vitro progrediendum est cum illis per quatuor gradus Calorum, primò putrefaciendo, deinde coquendo donec transeat ad rubedinem, habebis verè Microcosmi Tincturam ad expellendas infirmitates hominis, ita ut non immeritò Lapis philosophorum ~~microc~~ Microcosmi appelletur.

Secunda Extractio fit per modum quintæ essentiæ. Et hic modus est facilis, sed non ita altè tingit Corpus: est attamen supremus balsamus in multis Morbis, tanquam cura particularis. Recipe igitur clarum Therebintinæ Oleum quod etiam naturam balsami communis habet: impone in eo frustum membri cuiusdam sive Mumiam, sigilla vas, putrefac per mensem, fiat extractio per expressionem, infunde ei Spiritum vini rectificatū, digere per aliquot dies, tùm impone in vitulinam vesicam in qua omnia claude, pone in latam Cucurbitam superimpone Capitellū cæcum, clausuris diligenter obturatis Cucurbitam impone in aqua frigida, Capitellum tege Arenâ, Ignem Carbonum temperatè conserva in eodem gradu, tùm per temperatum calorem quinta essentia balsami cum spiritu vini cadet in Cucurbitam crassâ materiâ remanente in vesicâ: Ex qua crassa Materia facta calcinatione per reverberationem extrahendū est Sal, quod cum quinta essentia separata a spiritu vini per balneum, coniungendum est: deinde circulari debet hæc quinta essentia, i[ll]amdiu relinquendo in digestione. Sicque habebis quintam Mumiæ

essentiam

essentiam quæ cum Theriaca est destillanda contra venificia, pestem, et venena.

Tertia Extractio Mumiæ fit per corruptionem corporis et transplantationem. Corrumpe sive putrefac Mumiam sanam cum quarta parte Terræ subtilis et puræ mixtam in vasis clausis, per mensem aut donec Terra pinguis facta sit. Tum semina in illa Terra herbas quas volueris, prout huic vel illi Morbo inservient. Permitte crescere, tum corporalis spiritus herbæ extrahit balsamum seu vitalem Spiritum Mumiæ ex Terrâ viscosâ ut nutrimentum suum, et sic acquirit Mumia spiritualem naturam: Quæ herba tanquam balsamus microcosmicus est. Ex illa autem herba extrahenda est quinta essentia ex Spiritu vini.

Et licet alia genera extractionis numerari possint: hæc tamen superiora tria, sunt omnino præcipua.

Cap. 3ii

De Spirituali Mumiâ ex vivo Corpore extrahenda.

Postquam Paracelsus de quatuor prædictis Mumiæ generibus mentionem fecit, meminit Mumiæ quæ e vivo Corpore vel eius membro ad multos Morbos extrahi potest, per quam inter duos inimicos et serpentem vivum et mulierem communicari possit, quod secretum occultum est. Ut autem filijs Artis satisfaciat ponit exemplum de Magnete et ferro, per quod non tantum declarat modum extrahendi Mumiam, sed etiam indicat per hæc verba quod spiritualis Mumia non operatur nisi per corporalia media; in gratiam ergo filiorum doctrinæ natura Magnetis et ferri hic recensetur ex qua sapiens Mumiam spiritualem et usum percipiet.

Magnes non ex naturali sed monstruoso partu oritur cum non habeat qualitatem, et similibus virtutibus productum sit: sed est ut mulus,

Mater

Mater enim eius sive massa corporea passiva est communis lapidosus Mercurius: Pater vero sive forma activa est metallicus ~~sup~~ sulphureus martialis Spiritus: Cum vero quodlibet solum nutriri eo cupit quod est eiusdem Naturæ propriæ et similis, quæ Natura vel Spiritus solum in ferro reperitur. Hinc est quod intrinsecus Spiritus martialis Magnetis attrahit corpus Martis sive ferri ad se ut suum Nutrimentum ex eo attrahens. Si ergo illæso corpore Spiritus Microcosmi † ~~[illegible]~~ Magnetem, cuius productio et generatio similis sit cum martiali Magnete.

trahi debeat, i necesse est Microcosmum

Cap. 4ᵘ.

De formula extrahendi Spiritum mumialem et de eius Magnete.

Experientia probatur quod omnium rerum magnetica sympathetica et antipathica Natura consistat solum in virtute sulphurei vitalis Spiritus: ex quo constat quod Magnes Microcosmi et Macrocosmi generatur ex sulphureo Spiritu ut formâ et extraneo: ex parte tamen cognato Mercurio ut materiâ passivâ; si Paracelso credendum sit, et experientia confirmatum quod Sulphur Microcosmi in Stercoribus sive excrementis, Sal in urina, Mercurius vero non exeat sed maneat. Reperio ergo similem generationem Magnetis Microcosmi in Stercoribus, sicut in martiali Magnete. Nutrimenta quæ comedimus et nobis præcipue ex parte Panis cognata sunt, et quæ ab interiori Archæo digeruntur, in Materiam liquidam mercurialem; comparantur Mercurio sive Materiæ passivæ: qui Mercurius sive Materia nutrimentalis cum in superioribus Intestinis humida maneat continuo transit ad aliam partem per Spiritum continuum sulphureum vitalem in Corpore permanentem usque in monoculo intestino coagulatur, et per virtutem expulsivam expellitur, quod propter suam

magneticam

† virtutem proprietates etiam enarratam generationem merito Magnes microcosmi appellatur et revera etiam talem vim magneticam

magneticam † ostendit, cum ex eo unguentum sympatheticum ad vulnera consolidanda præparetur.

Cap. 5.

Processus extrahendi spiritualem Mumiam.

Recipe Magnetem Microcosmi exsicca ad umbram in Aere ne a Sole vel calore tangatur, alias via sulphurea extrahitur: Redue in pulverem per hoc evolabit humiditas quæ sulphuri contrariatur et amittit fœtorem: atque ita sulphur in suum Centrum reducitur, tum alliga super Membrum quodcunque vis, intercalare; et melius esset si Membrum vel Corpus per motum emitteret sudorem: Cum Magnes attrahit suum simile, nempe aereum sulphureum vegetalem Spiritum spiritualem Mumiam, secundum proprietatem cuiuscunque Membri si sanum est Membrum sanior erit spiritus, si contra contrarium.

Ch. 6.

De usu spiritualis Mumiæ in genere.

Cum Paracelsus asserat, extracta spirituali Mumiâ, non operari ad sanitatem nisi per media vitalia vegetabilia et Animalia, ita erit necesse Mumiam in Magnete in naturam vegetantem introducendam esse, per quod extracta Mumia in Magnete qui in se non est vegetans in existentem vegetantem naturam producatur.

Recipe Terram magneticam, semina herbam appropriatam membro infirmo, ut in Phtisi Vini semen vel Juniperi. In hydrope: Pimpinella vel Absynthium. In consumptione partium hypericum vel

Plantago

Thesaurus Naturæ ab Anonymo.

Plantago. In tumoribus, vulneribus: Persicaria, Consolida minor Dracunculus Symphytum maius: In aliis salsis Morbis ut sunt dolores dentium, oculorum ardores, Persicaria remedium unicum est et ita de cæteris. Cremante herbæ in Aere tum primum incipit operatio extractiua virtutis, extrahit enim per naturam vegetantem sympatheticè vel antipatheticè Spiritus residuus Mumiæ, si sit de infirmo Membro Morbus, et tum residet in fructu vel herba; prout operatur sympatheticè vel antipatheticè fiet operatio. verbi gratia si Morbus est siccus vel combustiuæ naturæ ut Sechitia et Phthisis, et via illum expellere de Infirmo, tum herbam cum Terra magnetica proijce in currentem Aquam: Si Morbus sit humidus, tum combure herbam cum Terrâ magneticâ. Si Morbus sit temperatus ut febris, tum sine herbam in Aere vel in fumo exsiccari vel corrumpi, et ita Morbus paulatim euanescet. Si verò fructum vel herbam Bestiæ alicui dabis quæ corpore fortior sit quam patiens, inficietur de Morbo; et patiens conualescet. De quo abusus plurimi febris et pestis ita diffunduntur per totam Regionem, nam de infectis extrahuntur per naturam vegetantem, unde inficiuntur fontes, homines, &c. Si verò Mumia de sano Corpore extracta est tum conseruanda est in suâ continuâ vegetatione, cuius fructus siue herba in Quercu sanâ inferius in radice transplantari debeat, ac foramen occludendum: hac ratione ut Arbor, etiam illud membrum continuè et sympatheticè fortius vegetatur. Eiusdem naturæ sunt Salices, sed nimis citò crescunt et propter alia accidentia non sunt conuenientes: ita si Capilli in Salice inserantur ita citò ac copiosè crescunt ut nisi auellantur vel Salices comburantur, Oculi, Cerebrum propter nimium velox augmentum vel humiditatem Arboris incommoda patientur ut

dolores

+ dolores. Quare hic secundum proportionem personae quaerenda est Arbor proportionata, in qua Mumia transplantanda erit. Quercus autem prae alijs eliguntur cum ad seram temperatae fortiter et non cito, hominisque vita diu Quercus non facile transcendit. Si verò Corpori vivo Mumia danda et quando nempe vitia membris sanans Mumiam attribuere velim tum totus fructus in potu vel cibo detur. Vel si vis fiat ut non adulteratur, quinta essentia per Spiritum vini extractio, ac detur cui velis.

Cap. 7um

De usu Mumiae in specie.

Licet ex praecedentibus prudens homo facile usum et applicationem cuiuscunque Mumiae in particulari intelligat ad maiorem tamen elucidationem huius mysterialis scientiae volui generalem doctrinam sequentibus exemplis confirmare, ex quibus cuiuscunque generis Mumiae quae pene infinitae sunt applicationem et usum facile percipiet.

Cap. 8um

De Amore causando inter viros.

Qui gratiam alterius desiderat, recipiat ipse prius Magnetem proprij Corporis eumque super tria principalia Membra alliget, primo super emunctoria Cerebri retro aures, nam ibi sulphureus Spiritus Cerebri ac memoriae per poros sua excrementa emittunt (ideò nemo facile retro aures sudat): secundo

alliget

alligetur super emunctoria Cordis, id est sub axillis:
Tertio super emunctoria hepatis et renum, nam per haec
tria principia purgant se septem Membra principalia.
Et sic talis Spiritus sine per motum sudorem Corporis
emittere quemlibet Magnetem separatim, recipe terram
magneticam in qua Spiritus Cerebri est extractus, separatim
commisce illam paululo terrae, semina in illa Origanum
vel aliam herbam quae ad Cerebrum pertinet, sine crescere,
tunc Spiritus a Cerebro extractus attrahitur in Plantam
et vegetat simul. Accipe secundam terram magneticam
et seminentur in illa herbae cordiales ut Melissa Borago.
In tertia terra semina herbas hepaticas et ad renes
pertinentes ut Carduus benedictus.
Ex his fructus sive herbas commisce ac superfuso Spi-
ritu vini extraho Essentiam: Da illam alteri in potu, tum
commiscetur Spiritus mumialis extractus cum Corpore
alterius, et quilibet in Corpore occupat locum appro-
priatum vel membrum simile, et fit vir similis illi
ex quo Mumia fuit extracta, ut continuo in omnibus
propter concordantiam unanimes se gerant. Si vero
Mumia solum fuerit ex Cerebro tunc utique utroque concor-
dat solum in animo et cogitatione sive spiritu, sive fa-
cultate ex Cerebro procedente. Si autem Mumia fuerit
ex Corde solum, conveniunt in spiritu seu facultate vi-
tali aut cordiali. Si denique Mumia fuerit solum
ex hepate et renibus conveniunt tantum in spiritu natu-
rali seu concupiscibili. Quod si hae Mumiae dentur
simul tum concordantia erit perfectissima, nam per-
fectissime amatur qui in omnibus perfecte persimilis est.

Praeparantur

Cap. 9um.

Duos Inimicos reddere Amicos.

Præparantur ut tradita Mumia. Solum advertendū est quod Mumiæ ex utroque extrahendæ sunt, et utrique reciproce dandæ sunt in Cibo et Potu, aliae pars quæ Mumiam percipit alteram amabit: altera verò quæ non percipit perseverabit in odio.

Cap. 10um

Simiam et Serpentem amicos reddere.

~~Hoc fit ut primum Exemplum demonstrat~~

Accipe Spermata Simiæ et Serpentis, misce ea cum Terræ partibus. Divide in duas partes. In una parte transplanta herbam Serpentis, et da ~~Serpenti~~ Serpenti comedendam. In altera verò parte transplanta aliquod ~~nutr~~ nutrimentum conveniens Simiæ, et da ~~[illegible]~~ Simiæ pro Cibo.

Cap. 11um

~~Hoc fit ut primum~~

Inter virum et foeminam amicitiam conciliare.

Hoc fit ut primum Exemplum demonstrat. Hoc observandū ubi vir suam Mumiam dare vult, ut loco herbarum Vinum accipiat.

accipiat matricales ut valerianam, Rosmarinum, Satureiam: item semina Satyrionem. Nam suprema virtus appetitiua residet in fœmina Matrice, quare Spiritus Mumia appetitiuæ hepatis et Renum viri debet transplantari in herbis matricalibus, et producitur ad locum idoneum nempe ad Matricem. Item spiritus appetitiuus fœminæ transplantari debet in herbis mentulæ conuenientibus ut est masculus Satyrion. Et cauendum ne menstruum viris aut semen fœminis detur, nam venenum est: et licet, si semen virile et muliebre in herbis transplantetur eosdem effectus habeat, hoc tamen diuinitus prohibitum est, quare non accipias semen in propria substantia, sed spiritum illum per terram magneticam extrahere ex partibus umbilicalibus, quod tamen non omnibus concedendum est. ut etiam de alijs Exemplis. Sed omnia fiant cum moderatione sine damno Conscientiæ. Et hoc tantum concessum videtur maritatis, si inter illos discordia orta est

---

Cap. 12.

De antipathetica operatione.

Ut Sympathetice omnia membra sanari possunt: Ita antipathetice omnia ~~Membra~~ membra debilitari possunt: ut si permisceatur Mumia cum venenatis rebus et sinas eas putrefieri, et cum illis mumijs ægrorum Animalium vel Menstruis permiscentur, ut in illis herba plantetur ut seruetur in continua vegetatione, ita etiam Infirmitas erit continua. Si enim sympathetice membra corroboranda sunt tum

extracta

extracta Mumia etiam vegetare debet secundum proportionem in Quercu vel aliqua temperata Arbore et transplantari. Si enim Membra nimia vegetare debet, in Salicibus ea tenera in temperata Arbore et transplantari; ita in nimia humida complexione per tempus potest in calidissimis Mumia et tardè venientibus ut in Junipero transplantari: quod observandum ut fructus in quibus sit Mumia transplantata ab exteriori damno conserventur: Ita etiam ut Membra ægra vel debilia restituantur in pristinum, eorum Mumia debet transplantari in herbas quæ talia Membra corroborant naturâ, et postea in sana Arbore conservanda, ut ad corroborandum Cerebrum est Semen Liliorum alborum, Rorismarini, Spicæ nardi, in quibus primò transplantari debet, tum in Junipero in continua vegetatione conservando.

Antipatheticum.

Mumiam infirmam extrahe et alteri injice: In Mumia Cadaveris vel in morte extracta Corpore infirmo. Ut in Septem semina herbas pertinentes ad Membra principalia, quorum fructus homini vel Bestiæ, tunc transfertur in illos ægritudo.

In ictericis Morbis et similibus.

Ex tribus principalibus Membris extrahe Mumiam (cum Ictericia per totum Corpus dispersa sit) in qua transplanta semen vel similia. Ægro etiam dabis Asellos in vino, vel stercus Anserum, vel Juniperi grana, quorum colores per urinâ transeunt: quâ urinâ humecta singulis diebus Terrâ magneticam: fructus sive herbam quæ crevit si corpus est siccum projice in flumen; si verò Corpus est humidum vel tumidum exsicca: hoc medio.

medio tolluntur omnes Scabitia et præcipue incurabiles, ut nigra &c.

Contra hydropem, Sympatheticum.

Extrahe Mumiam ex tribus principalibus Membris, in qua planta Absynthium, Pimpinellam, vel hirundinariam. In potu dius detur sal Absynthii vel Diacubibes, urinâ humecta terrâ magneticam: fructus, vel comburere vel in Aere desicca.

In Laterum aculeis.

Extrahe Mumiam sub axillis et umbilico: In quâ planta Maluam Plantaginem, Melissam vel similia, pelle urinam cum sale dictis herbis, quâ humecta terram: Permitte herbas siccari in Aere, vel projice in flumen secundum requisitum morbum.

in febribus.

Extrahe Mumiam vitalem et naturalem sub axillis, ita ex venis pulsantibus: in quâ transplanta herbas aptas ad retinendũ sanguinem et tollendum sua putredinem ut sunt urtica Melissa et similia. pelle urinam per urticam, Saluiam: quâ humecta terram: Projice fructus in flumen vel projice in Aerem.

In Constipatione hepatis, Lienis, et similium.

Extrahe eorum Mumiam: planta in herbas appropriatas illi Membro, pelle urinam per illas herbas, et procede ut supra.

In Podagra.

Extrahe Mumiam ex infecto Membro: Semina hellebori: pelle urinam per media: humecta terram: Exsicca fructus in Aere, vel in Quercu fodo.

In vertigine.

Extrahe Mumiam ex Cerebro: Semina Cariophillatam: sine in Aere desiccari.

In Tumoribus et vulneribus.

Extrahe Mumiam, in quâ planta Persicariam maculatam et similia:

pelle

pelle urinam per Tartarum. humecta Terram, et desicca.

In fractione Ossis.

Extrahe Mumiam, semina seu planta in ea Symphytum maius, desicca in Aere.

In salsis Fluoribus.

Ut in dolore dentium, oculorum: Extrahe illius loci Mumiam, et in ea planta Persicariam maculatam.

In superfluis Menstruis.

Extrahe Mumiam ex umbilico et sub umbilico: et in ea planta Persicariam maculatam, urinam pelle: herbam desicca in Aere vel combure.

In defectu Menstruorũ.

Extrahe Mumiam ex prædictis locis vel ex ~~[illegible]~~ hepate: semina Pulegium: per eius Sal pelle urinam: humecta Terram, fructus proijce in Aquam.

In hectica.

Extrahe Mumiam ex principalibus Membris, item ex dorso: in qua planta Sempervivum vel Salviam: ... Et fodi in Cavaso vel Quercu: vel subito extractam Mumiam transplanta in tale Arbore.

Foecunditatem dare et causare.

Extrahe Mumiam ex Corpore foecundo, e spina Dorsi et umbilico et sub umbilico: In quâ planta Satyrium vel Chamaleonem magnum, Da non foecundis in Cibo: Appende herbam illis: Cohabitet vir cum foecunda Muliere. Et in hoc est summa Medicina.

Alterius Fortitudinem demere et alteri dare.

Extrahe Mumiam ex fortibus et sanis: In quâ planta Chamaleontem nigrum. Da debili vel infirmo in Cibo, vel eius quintam

essentiam

Thesaurus Naturæ. ex Anonymo.

ssentiam: herbam appende. et serum gestet homo et cohabitet cum sanis.

Equi fortitudinem demere et alteri dare.

Recipe semen Equi: misce terræ et planta Chamæleontem nigrum: da in cibo: Appendatur etiam herba, et Equus cohabitet cum Equis fortibus et robustis. Notandum quod omnis herba sive semen statim post Novilunium debet plantari, et duobus aut tribus diebus ante Novilunium explantari, et alteri dari. Ex quibus omnibus facile colligitur quomodo antipatheticè vel sympatheticè alterius sanitas vel infirmitas iuvari potest, vel Arbori dari vel homini, ut prudens homo satis intelligit.

De Arbore Scientiæ Boni et Mali.

Scriptura in hoc testari debet unde Arbor Scientiæ boni et mali virtutem hanc habuerit, tacitè insinuat cum dicit Serpens est callidior cæteris Animantibus, et Serpens recondit se sub illa Arbore, ex comparatione Arboris Scientiæ cum Serpente. Et quod Serpens habitaverit sub Arbore, insinuatque magicè quod Serpens spirituali modo suam essentiam et virtutem in fructus Arboris transplantaverit ut Theophrastus asserit in libro De origine rerum, ubi etiam scribit quod licet multi hoc non capiant ego parcipendo nec volo Margaritas ante porcos proijcere: processus vero facile colligitur ex ipsa quæ dicit, ut ex duobus libellis de tempore: Qui intelligit processum de Mumia spirituali Microcosmi et libellum de tempore illo etiam intelligit de Serpente: Quare necessariò secundum processum de Serpente, Mumia spiritualis extrahenda est et in fructus transplantanda; quod fit hac ratione sequenti.

Recipe Spermatis Serpentis in Ovis, quæ serum totalem corporalem

corporalem Mumiam Serpentis habet: Cum ista Terra semina herbas quasvis, vel transplanta sub radice cujusvis Arboris usque ad nucleum; vel pro acuitate Ingenii debet transplantari in appropriatum Cerebro fructum, ut in Nigrorū Cerasorum Arborem, attrahunt fructus spirituali modo Spiritum Mumiæ ut nutrimentum: Et tum est omnis qualitas ac virtus Mumiæ in fructu. Ex eo ~~dehinc~~ extrahe Spiritum seu quintam essentiam — usus pro acuitate Ingenii et pro Cerebri affectione. Ita in vite potest transplantari illa mumia † ut solet theriaca, unde nobilius retinet virtutē.

† ac exuvis spiritus extrahitur

Alio modo Recipe corporalem serpentem totum. In vitro claude, putrefac usque quo in viscosum abeat viscum. Transplanta in Arborem, vel in visco immixto Terræ semina herbas.

De arbore vitæ.

Licet non sit notum in sacris litteris per quæ media Deus Arbori vim vitæ infuderit. Philosophi tamen duas causas assignant. Primum quod per Dei mandatum immediate Arbori talis vitalis vis infusa fuerit in Creatione: vel immediate per alia desprompta ex Thesauro Naturæ in Arborem transplantata fuerit. Quem Thesaurum Naturæ Philosophi diligenter investigarunt in herbis.
Testatur quod Sol sit Arbor vitæ et virtus Solis sit indita illi, et per hoc ut decretum Dei esset semel mori: qui Natura certe homo æterne vivere posset, tamen ad terminum prædestinatum e sano Corpore, hoc pertingere potest si qui hi fructus vitæ nobis non prohibentur: Et potest a quo

primum

Thesaurus Naturæ ab Anonymo.

primum Ens Auri si Corpus eius per artem chymicam in suum spiritum reducitur: vel certe alteri Mumiæ transplantari, per quod fructus talem virtutem illius Auri acquirunt.

Vitis non habet vim Theriacæ, si vero in vite stirpina sive Theriaca transplantatur acquirit vim Theriacæ.

Ita si transplantatur vis Auri ~~ac~~ acquirit virtutem eius.

Ita aliorum Essentiæ applicari possunt ad Medicinam quod unum summum est arcanum in summis Naturæ arcanis.

Gladij constellati Sympatheticum.

Recipe albam Therebentinam ad pondus unciæ unius mediæ: Longi Piperis in pulvere unam drachmam, Zibethi mediam unciam, Moschi in ~~pe~~ pulvere mediam drachmam, Olei de Croco decem grana. Cariophyllorum decem etiam grana, Cerebrorum passerum viginti grana: pinguedinis vulvæ Cervinæ triginta grana, primi Menstrui virginis et Olei moschatæ ana decem grana, Olei Cinnamomi quinque grana, Boleti Cervini decem grana: Permittas in vase de aurichalco parum de Cerâ virgineâ fluere ad lentum calorem, tum introduc Therebentinam, et ita omnia alia mixta simul per tempus misce: Et compone inde Balsamum.

Ad extrahendum Spiritus vitales vel Mumiam ad dandum alteri in Sanitatem.

Accipe frustulum aliquod Carnis hominis suspensi vel strangulati qui recté valuerit ante strangulationem, nam ægroti

hominis

Thesaurus Naturae ex Anonymo.

hominis commiscentur Spiritus: quod frustulum sit
ita magnum ut palma manus et ita spissum ut tertia pars
digiti, quod applicabis quam fieri poterit citius super viuen=
tem partem siue membrum a quo volueris extrahere spiritus
puta pro Pulmone supra Pulmonem: pro concilianda bene=
uolentia supra Cor; pro sanando supra quodlibet membrũ.
Nota tamen quod ubi sunt plures spiritus velut in pectore
plures exinde attrahit. Elapso vero viginti quatuor
horarum spatio debile factum est, et tollendum: tunc enim
extracti sunt Spiritus.

Modis autem supradictis dantur potui vel Cibo, hae quintae
essentiae mumiales: Ita ut una gutta reficere potest valde
Aegrotum, ex eo tum ex quo mumia vel spiritus ille extractus
est, si detur Aegroto languido valde, et nisi fuerit fortis
fit admodum debilis propter sympathiam et debilitationem suorũ
spirituum, et illorum rejectionem in corpus languidum.

Nota quod ex suspenso homine caro non est eruenda nisi dum
viueret esset optimé constitutus. Illius enim caro appetit spiritus
vitales, et ob id attrahit ex alijs. quod si fuisset malé constitutus
antea commiscerentur mali cum bonis. quod periculosum foret
ut supra notauimus.

Nota quod magnes attrahens spiritus, si caro suspensi sit
debet abscindi ad spissitudinem medij digiti in latum, et pellis
suspensi non debet excoriari, sed eadem superius requisita quantitas
carnis debet manere iuxta pellem: ratio autem est quia vis
illa magnetica magis residet in carne quam in pelle, quae
propter mortem dilatationem pororum non patitur: Ideoque
attracti a viuente Spiritus retinentur in carne nec perueniunt
ad pellem.

Recipe

Thesaurus Naturae ab Anonymo.

Pro Equo ut currat quinquaginta milliaria germanica absque Cibo, non potu.

Recipe Imperatoriam, Seseli Creticum vel alias pabulum cervi, Tordiliam ana ad pondus unius unciae: Chamaeleon=tis nigri unciam unam et semi. Fiat pulvis, misce illum cum uno manipulo farinae de Avena, impasta cum pura Aqua vitae vel vino malvatico: Zibethi granum unum, et succum capitelli unius Allii. Fac inde placentas et coque super lapides calidos. Recipe unam placentam, tunde illam, eique infunde de Spiritu vini: impone Spongiolae, ac freno Equi alliga. Hoc admoto Equus fit alacer ad currendum. Nota. In Avena ultima misce particulas de Imperatoria et Chamaeleonte nigro, et poteris equitare sine Cibo, sed non sine potu.

Finis.

in 1a parte fornacum.

Notanda quædam ex Jo. Rudolpho Glaubero.

De Alcahest.

sive De Mercurio universali Phorum

HOC observatu dignum quod Acetum acerrimum maximam habet affinitatem cum quibusdã Metallis quæ ipsius beneficio extrahuntur solvuntur et in Medicamenta rediguntur: Multa siquidẽ ipsius beneficio confici possunt ut testantur om͂ium Chymicorũ libri. Cæterum est et aliud Acetum cuius sæpe fit mentio in libris philosophicis Cuius beneficio Mirabilia præstantur in Metallorũ solutionibus cuius nomen veteres reticuere. pag. 51.

Sed quia id prædicta fieri nequit via qua res proijciuntur in Ignem ad consequendos flores et spiritus: sed via quadam secreta philosophica, vi Ignis alicuius secreti; hactenus a Phis occultata, nec enim secretum illud prostituã coram omnibus, sufficiat igitur ansam dedisse ulterius inquirendi viamque monstrasse alijs. pag. 67.

Aqua catholica

in 2a parte fornacum

Notanda ex Glaubero de Alcahest.

Aqua catholica per Naturam distillata nemini incognita.

Menstruum universale. pag. 43.

Non negaverim esse alium Draconem et quidem praedicto puriorem cuius philosophi mentionem faciunt: Natura enim Arcanorum dives. pag. 65.

Avis solaria. ibidem.

Sapo Sapientum.

Azoth philosophorum universalia. pag. 91.

Auri vero desiderans Tincturam, destruat primo Aurum per Mercurium illum universalem faciatque manifestum occultum et vice versa occultum manifestum. p. 121

Possessor Chalybis Sendivogii facile absque magno negotio impetrare potest Medicinam optimam. ibidem.

Est et alia Materia semper et ubique reperibilia absque distillatione et omni sumptu. pag. 129.

Vare te volo.

in parte 3a Fornacum.

Notanda ex Glaubero de Alcahest.

Scire te volo quod sit Materia distillatione non opus habens Mineralis nimirum: quae cuprea Instrumento imposita sponte sine Igne dat Spiritum Sulphureum penetrantem. etc. pag. 53.

Natura quoque praeparavit nobis Materiam aliam ubivis reperibilem, quae similiter Instrumento imposita per se et sponte absque Igne dat Spiritum. etc. ibid.

Quaenam vero sint duae istae Materiae facile ubivis reperibiles scire desideras: sed non audeo. etc. quas tamen annuente Deo Philosophis invenire licet lectione reliquorum meorum Scriptorum. ibid.

Quomodo Ignis naturam ignorans, per Ignem operari nouerit? pag. 44.

Ignis multa revelat in quibus res Speculo abscondita cernere licet. ibid.

Ignis nobis patefecit quomodo singula, Aqua, Salia, Mineralia atque Metalla una cum caeteris innumerabilibus in Terrae visceribus generentur per reflexionem Ignis nimirum illius centralis et astralis. pag. 45.

Sine enim Ignis cognitione tota Natura manet velata et occulta. ibid.

Ignis a Philosophis semper in summo honore habitus Clavis est magnorum Secretorum revelandorum.

Et ut uno verbo dicam, Ignem ignorans, Naturam ignorat cum suis fructibus. ibid.

Aqua Plumbi

in 4ª parte fornacum.

Notanda ex Glaubero de Alcahest.

Aqua plumbi purgans non solum cætera metalla sed etiam ipsum plumbum. pag. 10. et 12.

Examen philosophicum. pag. 12

Auri menstruum appropriatum. p. 34.

Menstruum minerale siccum. ibid.

Labor philosophicus divinitus concessus. p. 36.

Spiritus tingens metallicus. p. 38.

Universalis Medicina operatur suas perfectiones et emendationes roboratione et multiplicatione humidi radicalis tam animalis quam metallici, expellentia postea vi propria et innata suum hostem. p. 42.

Quod attinet ad Medicinam illam universalem adeo decantatam non possum ego iudicare de illa tanquam de re mihi incognita: Cuius vero possibilitatem affirmare cogor; motus particularibus transmutationibus. p. 43.

Fornax vbivia

in 5ª parte Fornacum.

Notanda ex Glaubero de Alcahest.

Fornax ubivis à Natura extructa reperitur. pag. 3ª

Fornax illa nullis alijs quam Naturæ operibus destinata, Menstrui alicuius gratia nimirum conficiendi sine strepitu solventis Aurum, Argentum et cætera Metalla. etc. pag. 4.

Menstruum illud Regium. ibid.

Unicum illud Menstruum quod scio, quod corrosivæ qualitatis non particeps. ibid.

Quod sanè mirum et stupendum, quod Res ubivis reperta, vilissima et abiecta tantum præstare possit miraculum. ibid.

Vera solutio philosophica. pag. 5.

Menstruum vile et abiectum. ~~ibid.~~ ibid.

Menstruum vilissimum. ibid.

Magna nimirum et splendida quæruntur, parva vero et vilia negliguntur, contra Naturæ cursum omnia sua opera simplicitate perpetrantis: Nemini igitur sit offendiculo Rei vilitas. ibid.

Menstruum universale. pag. 6.

Mercurius ille universalis subiectorum omnium abiectissimum, a morte superatus, iterum gloriosè resurgit

in salutem

in 5ª parte fornacum.

Notanda ex Glaubero de Alcahest.

in Salutem generis metallici. ibid.

Menstruum universale abiectissimum cuncta soluens radicaliter, Metalla, Mineralia et Lapides, sine strepitu uniens et figens: Cuius Solutio manus non colorat, coniunctio inseparabilis, et fixatio incombustibilis. pag. 8.

---

facta mentione

Notanda quædam ex Jo. Rudolpho Glaubero De Alcahest.

Facta mentione alicuius Medicinæ vniuersalis con=ficiendæ ex Antimonio &c nolim tibi persuadeas eam esse talem quæ oës in vniuersum absque discrimine tollere possit affectus. Quæ virtus soli adscribitur Lapidi philosophico, minime verò per me huic Medicinæ antimoniali: cui non plus attribuo quā didici per experientiam.

Hoc autē de ea Medicina Antimonii affirmare audeo in rerum veritate huic vix aliam præter Lapidem esse comparabilē, non enim solum ea præseruatur corpus humanū à varijs Morbis sed etiā felicissimè liberatur a præsentibus ita vt merito Medicina vniuersalis dici mereatur . pag. 29.

Nolim te offensum iri in simplicitate præparaōis huius nimirum medicinæ antimoniali e re abiecta & vilissima factæ sine magno ingenij acumine . pag. 32.

---

hæc Antimonialis Tinctura præ cæteris Medicinis mirificè euacuat cunctos vitiosos humores & insensibiliter purgat sangui=nē immundum, aperit obstructiones &c. p. 33.

Medicina illa Antimonij est vniuersalis & præstantissima oīum, vtilissima senibus atque Iuuenibus &c. pag. 34.

Melior sanè optari nequit Medicina hac nimirum Antimoniali quæ elicitur e re vilissima, temporis spatio breui, sumptibus et labo=ribus exiguis abundanter: Ingenue fateor similem mihi num=quam fuisse visam quam non dubito oīum esse optimā: Quare præter hanc quæramus aliam præstantem nimirū, quæ a veris desideratur Medicina? sed vtut sic præstantissima reuera tamen sum plurimos errantium offensum iri in illa vtpote ex Tartaro re vilissimâ et despecta, viaque simplicissimâ præpa=rata. pag. 34.

---

in parte 1a. Opera ~~Antim~~ Mineralia.

Notanda ex Glaubero de Alcahest:

Quantumuis autem haec praecedens Antimonialis Medicina facta nimirum cum vini Spiritu Tartarisato omnium Medicinarum sit praestantissima: Datur tamen Menstruū aliquod non corrosiuum cum quo non solum facilius quam cum vini spiritu tartarisato Medicina extrahitur vniuersalis ex Antimonio, maioribus etiam illâ praedictâ virtutibus praedita: Ita ut cum Imperialis pretio trium dierum spacio tanta impetrari possit copia quanta requiritur ad Curationem aliquot mille hominum. pag. 36.

Sed etiam cum illo Menstruo non corrosiuo cuncta vegetablia Animalia et Metalla radicaliter soluuntur et reducuntur in primam materiam.

Qua ratione non solum venena transmutantur et conuertuntur in Medicamina saluberrima

Sed etiam amara priuantur amaritudine sua quinimo illius beneficio adeo corriguntur ut non amplius excitent sedes et vomitus.

Cathartica vehementissima transmutata in renouantia praestantissima.

foetida etiam illius beneficio correcta suauem adipiscuntur odorem.

Non autem solum (id quod mirabile) illud Menstruum non corrosiuum soluit vegetabilia, Animalia, et Mineralia indeque profecta: Sed etia vitra, quare fortissima semper eligenda vitra pro digestione et solutione, vel in defectu illorum viliora renouanda quouis sex horarum spacio.

Notandū quod vix credibile Glauberum hic veridicum esse in illa sua vitrorum solutione supposita, verisimiliter ab illo non perpetrata; Impossibile enim forte aliquod ad finem optatum et simplicem solutionem opus deducere propter vitri mixtionem.

Praeterea illud Menstruum non omnino alteratur a rebus a se reductis in primam Materiam et in Medicamina conuersis.

Notanda ex Glaubero de Alcahest.

conuersis, neque viribus neque colore: semper enim medium occupat locum inter purum et impurum, quorum hoc petit fundum illud vero innatat Menstruo quod postea denuo vsurpari potest.

In summa vires eius omnes in praeparandis Medicaminibus depraedicari satis nequeunt.

Hoc vero Menstruum non corrosiuum comparari potest cum Aqua Basilii valentini Mercuriali: Paracelsi et helmontii Alcahest: quod ego statuo esse Machabaeorum Ignem in Aquam conuersum in fouea subterranea spissam.

Est Ignis perpetuus non tamen ardens visibiliter.

Aqua est permanens manus non madefaciens.

Sapo Sapientum Philosophorum.

Et Balneum Regium.

Quod etsi Menstruum iam aliquot annorum spatio cognoueram: Illudque saepe in Metallicis vsurpaueram, illiusque beneficio varia secreta indagaueram, numquam tamen cogitaui de illius vsu medico; donec aliquando interrogatus a studioso quodam scriptorum helmontii, vtrum liquoris Alcahest Paracelsi scirem praeparationem, nonnullas istius liquoris mihi virtutes in praeparandis Medicaminibus enumeraret, rem meam perpendere coepi, et animaduerti Balneum meum esse secretum, metalla purificans.

Quare statim feci periculum cum vegetabilibus et Animalibus (virtus enim eius in Metallicis non me latebat) et res miras et stupendas in illo Menstruo reperi, mihimet ipsi olim incredibiles.

Aio igitur

in 1ª parte operis mineralis.

Notanda ex Glaubero de Alcahest

Aio igitur et sincere fateor omnia et singula ab aliis uti etiam a meme ipso inventa et publicata remedia quantumuis rara et chara, nunc temporis esse vilissima in adspectu oculorū meorum:

Defuit enim nobis Clavis illa universalis. Vegetabilia enim nra sicut et Mineralia et Animalia quantumuis per artem macerata perfecte resolui non potuerunt, quare nec illorū vires integras sed particulares saltem habuimus hactenus.

Nunc autem non opus magna arte multisq₃ laboribus et sumptib⁹ integrum aliquod corpus absque corrosivis reducere in primā Mām specie fere tantum liquoris alicuius clarissimi, sponte terrestritate relinquentis, et vergentis in Medicinam salubeerimam, constantem ~~Medicinam purissimam~~ e tribus principiis purissimis: id quod absque hoc fieri nequit Menstruo. — —

Hac autē ratione herbae efficacissimae, quae absque hac praeparatione non nisi venena sunt, maturantur et purificantur per liquorem Alcaest, ita ut tuto propinari possint adversus Morbos gravissimos. — —

Ecce! Opium, mandragora, Cicuta, hyoscyamus, aliaque stupefacientia, quam lethalia sint incaute administrata? quae hoc Menstruo correcta, praestantissima evadunt Medicamina et tutissima.

Quam periculosa sit Esula, Scammoneum item, nec non Cataputia, Helleborus, Gummi gutta, aliaque fortissima cathartica incaute administrata nemo est qui ignoret; quae hac corriguntur ratione et in salubeerima convertuntur Medicamenta.

Quis quaeso audet devorare Napellum venenatum, fungosque venenatos nec non alia vegetabilia venenata? quae singula corriguntur ita per liquorem Alcahest ut non solū non sint venenata amplius, sed etiam transmutentur in Medicinas efficacissimas, et salubeerimas plurimorū Morborum. —

Non est

in 1a parte Operis mineralis

Notanda ex Glaubero de Alcahest

Non est corrosivum quid, et tamen dissolvit et resolvit res cunctas, unam tamen altera citius; transmutat et emendat vires illarum naturales. — —

Quare singuli sibi commendatam habeant Medici eius praeparationem, conscientiosi Medicamentorum praeparandorum gratia; beneficio huius Menstrui universalis: cuius origo et praeparatio vilissima, vires vero efficacissimae, inventio autem et usus abstrusissimus. — —

Non igitur simile reperitur in Natura rerum quod possit tam subito corrigere venena, eaque reducere in Materiam primam et in saluberrimas redigere essentias.

Vera autem et philosophica correctio fit per se absque additione rerum alienarum, solius ignis beneficio tam actualis quam potentialis humidi, maturando, emendando, et separando malignum: qualis fit per liquorem Alcahest a Paracelso sic vocato et Helmontio.

Utrum vero hoc meum Menstruum sit liquor ille Alchaest Paracelsi et Helmontii, nihil interest; modo eadem praestet.

Ignis, ignisque potentia multum possunt, sed non comburens et destruens, maturans autem nutriens fovens et humectans.

De quo igne humido videatur Artephius, Bernhardus, Basilius Paracelsus etc.

Maturatio enim non fit frigidis sed calidis, germinationem promoventibus.

Et quicquid Natura reliquit imperfectum in regno vegetabili Animali et Minerali, accidentaliter nimirum; id arte emendari potest beneficio liquoris Alcahest; qui correctionis medium optimum. —

Aio igitur

in 1ª parte Operis mineralis.

Notanda ex Glaubero de Alcahest.

Aio igitur expresse, similem in tota Natura non reperiri, quia illius Menstrui beneficio non solum cuncta vegetabilia Animalia Mineralia rediguntur in praestantissima et salubrrima Medicamenta, sed etiam in primam reducuntur materiam: Mineralia atque Metalla purificantur, abluuntur, et figuntur, atque adeo in meliora corpora rediguntur: Id quod admiratione dignum, quod in subjecto vilissimo et abjecto tanta delitescant virtes; cujus beneficio posthabitis omnibus alijs artibus, solum et unicè acquiri possunt opes et honores necnon amissa sanitas.

In Metallicis

Primò solvit hoc nimirum Menstruum philosophicum cuncta Mineralia et Metalla sine strepitu radicaliter, redigitque in Medicamina salubria efficacissima: Et ex Auro facit Aurum potabile: et ex Argento Argentum potabile: Et sic consequenter ex alijs Metallis Metalla potabilia: ita ut merito Mercurius dici mereatur universalis

Secundò purgat, lavat, et in meliores species transmutat hoc secretum Menstruum Mineralia atque Metalla, quare haud immeritò appellatur Sapo sapientum quo veritas Dicti philosophi confirmatur, Ignis et Azoth tibi sufficiunt.

Tertiò ipsius beneficio cuncta maturantur et figuntur Mineralia atque Metalla: ita ut postea Aurum et Argentum nimirum immaturum ijs incorporatum Cupellationis beneficio cum fructu possit elici: quare meritò hermetis sigillo comparari potest.

Quartò Metalla reddit volatilia, et radicaliter coniungit ita ut simul permaneant, unumque in alterum agat in igne; destruit et innovat, mortificat et revivificat, quare Phoenix

in 1ª parte Operis mineralis.

Notanda ex Glaubero de Alcahest.

Phoenici comparatur.

Quinto separat Metalla mixta absque ulla aliqua iactura, et quidem celeriter: sed longe alia ratione quam menstrua corrosiva; ita ut singula habeantur seorsim: Exempli gratia separaturus Aurum Argentum Cuprum ferrum Stannum et Plumbum mixta; vel duo, ~~vel~~ tria, aut quatuor mixta; Ita ut singula seorsim appareant: non opus habet mixturam cum Plumbo cupellare; Qua ratione solū Aurum et Argentum impetratur cum iactura reliquorum. Hac vero via omnia et singula conservantur, quia per vices unum post alterum extrahitur mirabiliter et celeriter, spatio unius semi horae, nimirum per Acetum hoc philosophicū acerrimum.

Sexto possunt illius beneficio subito Metalla destrui et redigi in vitra transparentia irreducibilia et Amausiae similia, servata tamen uniuscuiusque Metalli natura et proprietate. quae in reductione Aurum dant et Argentum perfectū: qua re confirmatur dictum philosophicum unius corruptio est alterius generatio; nec non illud Paracelsi Ex aliquo fiat nihilū et ex aliquo aliquid.

Caeterum Oleum hoc incombustibile sive Aqua permanens demonstrat veritatem scriptorum philosophicorū unanimiter perhibentium Solutionem suam, Putrefactionem, Destillationem, Sublimationem, Circulationem, Ascensionem, Descensionem, Cohobationem, Incerationem, Calcinationem, Coagulationem, Fixationem, Fermentationem, &c in opere suo una fieri vice, uno vase, unaque via: In qua unica Operatione colores apparent cuncti quorum Philosophi faciunt mentionem; utpote Caput Corvi, Lac virginis, Sanguis Draconis, Cauda Pavonis,

Leo viridis,

in 1ª parte Operis Mineralis

Notanda ex Glaubero de Alcahest.

Leo viridis et Leo rubeus.

Demonstratur etiam per illum Liquorem Alcahest veritas dicti Hermetici, Quod est inferius est sicuti id quod est superius.

Varia etiam alia illius beneficio perpetrantur, utpote Sperma illud Chalybis Sendivogii; nec non illud diu quaesitum Oleum Talci.

Ad me quod attinet Dei divina favente ~~grati~~ gratia, instructione Paracelsi viri mirabilis (egregie illum loco quodam a paucis tamen observato; paucis quidem attamen clarissimis apertissimisque depraedicantis et nominantis verbis) cognitionem illius adeptus, quam postea indies magis ac magis tot experimentis auxi, ita ut vix crediderim unquam quenquam alium tot sumptus et tot labores exantlasse in indagatione virium illius, rerum metallicarum explorandi gratia: fateri autem cogor quamvis forte maius in ipso fecerim periculum quam unquam quis alius, plurimas tamen adhuc latere me vires illius absconditas et secretas.

Sed ne pereat scientia, et vera iterum fere extincta Medicina morborum curandorum gratiâ, vulgo incurabilium, floreat et Philosophica veritas confirmaretur, revelavi secretum illud Menstruum duobus Amicis, eius nimirum praeparationem et usum.

Notanda ex Glaubero de Alcahest.

Alcahesti nomine intelligo calidissimam igneam siccam, simul ac humidam Aquam corrosiua virtute vacuam; qua vegetabilia Animalia Mineralia, nec tamen omnia eodem modo, absque strepitu soluta in saluberrima Medicamenta, ut parte 1a operis mineralis innui, elaborantur. —

Ergo hoc incomparabile subiectum vocatur Soluens universale: quia eius beneficio multa incredibilia in praeparatione bonorum pharmacorum metallorumque praepa=rationes praestantur:

Nemo tamen credat quod instar fortis, regiae, alteriusque cor=rodentis Aquae siue Menstrui Metalla celeriter ac violenter soluat; minime gentium: sed alia prorsus ratione operatur. Vegetabilia nempe atque Animalia viâ humidâ in diges=tione soluuntur in qua Dissolutione puriores partes ab im=puris separantur.

Mineralia vero ac Metalla possunt et ipsa ipsius beneficio humidâ viâ soluta in bona pharmaca redigi, vel in meliora Metalla lauari purgari et maturari, sed non eadem felicitate ac celeritate atque viâ siccâ, qua quamplurima admiranda in=expertia incredibiles mutationes mox prolixius tractanda perfi=ciuntur

Quicunque tale Menstruum habet, quo haec sequentia pa=rantur, ille se Soluens universale vel Mercurium Philosophorum apertum ad veram Medicinam et Alchymiae ostium reseratum possidere gaudebit

Tria praecipua

in Miraculo mundi.

Notanda ex Glaubero de Alcahest.

Tres praecipuas Operationes huius Menstrui beneficio praestari posse operae pretium est cognoscere.

Primo Omnia vegetabilia et Animalia in liquorem soluta maturat, venenoque sublimato in salutaria Medicamenta convertit.

Secundo Mineralia atque Metalla tam humidâ quam siccâ viâ solvit, venena cruditatemque maturat et ~~fixit~~ figit, ut bona fiant Medicina, et per post fixationem bonum ac genuinum Aurum et Argentum exhibeant.

Tertio Eadem Metalla, Mineralia, Lapides, aliaque compacta, duobus praedictis modis non solubilia subiecta solvit, maturat, purificat, horaeque spacio Metalla plus exaltat quam priores duae solutiones toto die non valuerant, quorum in melius mutationem in singulas horas observare licet.

Solvit Metalla ac Mineralia in penetrantem spiritualitatem, ut Metallum a Menstruo non separatur, sed ex utroque humida iuxta ac sicca solutio fiat, ex qua purior Metalli pars sive illa, Aurum sit sive Argentum (praesertim si plura iunctim fusione soluta) post praemissam fixationem arte praecipitatur.

Unde satis liquet in omnibus Imperfectis Metallum bonum Argentum et Aurum vulgari Cupellarum examine non notabile, abscondi: quae Operatio Menstruo tantū grosso modo praeparato absolvitur.

Quod si hic hermaphroditus volatilis ac spiritualis Mercurius, rursus fixus ac corporeus evadat, credibile 3
est multis numeris subtiliorem penetrantiorem efficacioremq ad solvenda alteranda et perficienda corpora esse, atque antea fuerat.

Hoc mea

Notanda ex Glaubero, de Alcahest.

Haec Mea quam trado Medicina magni pretii non est et insuper maximarum virium, cujus tam Pauper quam Dives compos fieri et ab omni incurabili Morbo Dei gratia adspirante liberari poterit.

Omnia fossilia hoc Subiecto mediante perfectissime examinantur quaenam Metalla proprie contineant. —

Pyritae Auri et Argenti singulari hactenus incognito compendio hoc mediante Menstruo fusi, longe plus Metalli fundunt quam modo vulgari

volatiles et immaturi Pyritae Auri et Argenti trium horarum spacio figuntur, ut duplum Metalli reddant, quam absque fixatione potuissent.

Omne Aurum et Argentum ex suo pyrite non pure eliquatum, celeriter ab omni additamento purgatur. Argentū ab Auro separatur solo fusione exiguo labore et sumptu, sed magno pondere.

A veteribus vasis stanneis suum Plumbum Aurū et Argentum facile detrahitur, ipsum Stannum pondere paulo minori melius quam antea erat redditum.

Ex Bismutho multum Argenti secernitur bismutho servato: convenientes locis hoc minerali abundantibus sat vitum.

Ex veteri Cupro multum Argenti sequestratur Cupro illaeso.

Quodvis vulgare Argentum paucarū horarū spacio in Auri etiam naturam exaltatur, qui si quater vel pluries fiat, quod brevi temporis intervallo fit, tantum Auri datur ut impensis praeponderatis victum necessarium suppeditet.

Aurum ab omni additione Cupri Stanni ferri Plumbi Orichalci Antimonij Arsenici similiumque, fusione separatur

et absque

Notanda ex Glaubero de Alcahest

et absque Cupellis purificatur, singulis seorsim seruatis.

Omne Imperfectum Metallum absque aliorum Metallorum consortio, solo hoc secreto Igne horae spacio maturatur vel Aurum et Argentum in examine sed absque lucro reddat: indicio, quod sequiora in Perfectorum naturam arte promoueantur, magno Metallurgorum commodo.

Metalla quoque in eodem Subiecto in formam vegetabilium coram oculis crescunt, interuallo duarum triumue horarum digiti vel palmi altitudine in multos ramos et ramusculos panduntur, sine fructu quidem, sed demonstrationi ipsa etiam Metalla in eo Menstruo instar vegetabilium germinare.

Alia vero de Perfectorum ex Imperfectis crescentia et augmentatio lucrosa vegetabilium germinationi respondens, quod quemadmodum omne semen terrae mandatum in ea germinat in herbam Arborem-ue crescens et surgens, sui incrementum insita vi attractrice ex eadem petit. Similiter hic agitur, nempe Aurum vel Argentum in Plumbo Stanno Cupro vel ferro tanquam natiuo solo ac humore germinat crescit ritu herbarum alitur, et de die in diem augetur. Ars Phia non spernenda.

Hoc mediante Subiecto ex omnibus Imperfectis Metallis et Mineralibus vsitato Cupellarum examine nil habentibus sincerum Aurum et Argentum multiplici modo producitur: argumento quod Imperfecta in recessu aliquid Perfecti habeant reconditum, sed cum inueteruntur conspiciendum praebent. Opus Metallis operam dantibus non ingratum.

Hortulani omnia Insecta tollent si hoc Subiectum Aqua mixtum locis vbi pullulant affundatur, omnia morientur vel foras ad necem erumpent quia istum Ignem

sustinere

Notanda ex Glaubero de Alcahest

sustinere non valent.

Fructus etiam maturat si in dente vel huius Menstrui radicibus applicetur.

Pistoribus fecis fermentique vices praestabit si Lupulū in eo solvant.

Cerevisiarijs si Lupulus in eo sit extractus Cerevisiam ferventem dabit.

Mulsarijs acescentia Mulsa, omnem etiam Cerevisiam vinumque hispanicum acidum, potabile reddet.

Si vinitores de hoc Subiecto pauculum, vitium radicibus affundant, uvas praecoces habebunt, Mustumque praematurū care divendent.

Regionibus etiam vini feracibus convenit, si caloris Solaris defectu vinum maneat crudum, quod hac arte iuuatur ut facilem emptorem inveniat.

Aliud Agricolis valde quaestuosum: Ex Pomis Pirisque expressum Mustum huius Subiecti ope ad effervescentiam promovetur, ut vina inde fiant nativis sapore durabilitate viribusque parum inferiora: vel si contusionis Pomorū fiat bono compendio Succus exurgetur in futurum vinum. Secretū Regionibus ob frigoris dominium vina excoquere non valentibus, sed Pomis ut plurimùm abundantibus necessarium, quo vini istic locorum cari caritas commodissimè compensatur.

Si Agricolae, Semen hoc Menstruo humectatum in agrum spargunt citius maturescent grana pinguioribus

Si Emptores desiderent quo pacto ex suo frumento magnū quaestum faciant ostendam: Integro non commolito frumento calidam hoc Menstruo, impraegnatum affundant in dolio benè clauso suum tempus fermentat: Aqua omnes vires extrahet, relictis Siliquis in Porcorum pabulum cessuris,

si cum

in Miraculo Mundi.

Notanda ex Glaubero de Alcahest.

Si cum hoc Extracto Lupulus fermentatur bona est Cerevisia: Si hanc nolis, optimum Spiritum inde elicies, residuum brevi Acetum est. Et si callidus es hoc vinum ardens multis usibus applicatum plus lucri reddit quam si vendidisses. Secretum in frumenti vilitate non spernendum.

Praeparatio Alcahest

℞. 2 vel 3 libras huius Menstrui; cuius rodentem naturâ, Ignis vi in non corrodentem, transmuta: et habes Menstruum praeparatum: quo hanc Medicinam elaborabis; nempe in hoc Menstruo tantum Primi Entis Auri (quod passim in Mundo sed praecipué in Auri fodinis reperitur) solve, quantum in calore attrahis ut fiat solutio rubea, quam cum suo Veni solventis pondere aliquot dies digere: fit separatio partium puriorũ ab impuris, feribus a Medicina ad fundum secedentibus ac remanendis. haec leni calore concentrata rubeus pellucidus est Lapis, solubili Sali simillimus, probé servandus. Medicina est nulli praeterquam Philosophorum Lapidi secunda, post centum annos eiusdem cum primo confectionis die bonitatis. Omnia quae recenseo cum stupore peregeris. Pro qua dignas Deo gratias nemo Mortalium unquam persolvet.

Non inconsultum

in Miraculo Mundi

ex Glaubero

Notanda de Alcahest.

…a quod hic
…sequentibus
…hoc nititur
…ctore persuadere
…o Alcahest
…l aliud sit
…m Nitrum:
…praecedenti
…a contrarium
…hendi fa=
potest.

Non inconsultum videtur quodnam sit commune huius Subiecti nomen quidque ~~sit~~ de eo vulgus sentiat subindicare: Quod ut paucis expediam nil est aliud quam nudum Sal terrae ex quo Salpetrae conficitur. Verum quod quodvis Sal vel vulgare Salpetrae harum sit virium, nullus dixero; cum sua cuique debeatur eiusdem praeparatio; ~~iuxta~~ iuxta quam diversas virtutes expectabis. Verbo: hoc Subiectum cunctis universae Terrae incolis singulisque Ordinibus notissimum esse convenit, quippe quod non modo homini sed omni insuper Creaturae pro varia sua applicatione commodare vel nocere aptum est.

Medica Chirurgia Pharmacopoeia hoc Subiectum ex quo vel per quod summa contra naturales hominum morbos Medicamina parantur, inservit: Unde vulgaris illius Philosophorum dicti veritas indubitanter asseritur, quod scilicet ex summo veneno, summa contra Morbos Medicina sit paranda: Nitrum autem esse deterrimum venenum, 2a Furnorum parte, dixi: ubi illud ipsi Basilisco praeferebam: Et quod ex eodem Nitro, eoque mediante optima Medicina sit praeparanda, hic probatum est, summa Operis Mineralis parte, quo pacto mediante Alcahesto e Vegetabilibus Animalibus Metallisque multifaria aliisque multis parasangis anteponenda Medicamenta sint praeparanda, in gratiam Medicorum Chirurgorum aliorumque Medicinae operam dantium, vulgavi.

Dicas quis: Credo quidem multa insignia sua Subiecti interventu patrari, sed quia non simul indicas

universalem

Notanda ex Glaubero de Alcahest.

Universalem Medicinam sive Tincturam quâ adminiculo parari, non ab re fuerit dubitare num sit verendum priscorum Philosophorum Menstruum universale scilicet Mercurius hermaphroditus tantopere ab ipsis depraedicatus, ubique reperibilis ut res odiosa ac vilis in omni sterquilinio inveniendus, naturâ frigidus, ac calidus, summum venenum, citò occidens, citò sanans, apud omnes reperibilis, quem Dives et Pauper ex aequo possideant, quem Adam secum ex Paradiso attulerit, huiusq(ue) commatis plura Antiquorū epitheta in ipsum Mercuriū quadrent?

Huic ego responsum velim: veteres meo iudicio alium Mercurium universalem haudquaquam habuisse, quam ipsum Nitrum, cui omnia eorum verba perfectè conve=niant et applicentur.

Nonne omnes homines Nitrum ipsum norunt, suam Urinâ ex qua generatur intuentes? nonne est res vilissima quam domi non ferimus sed foras mittimus iuxta Philosophorū praeceptum in fimo quaerendam?

Nonne Nitrum, summum est venenum si pulvis tormen=tarius vel Aqua corrosiva ex eo paretur? Nonne Uni=versalem Medicinam ex eo praeparare docui?

Nonne Nitrum, merus Ignis, purum putum frigus ac glacies est? Et si velis nonne virilis ac muliebris muneris aequaliter obit? Imperfecta corpora quadran=tis horâ spacio impraegnat ut Aurum generent? Ipsum ignis calore impraegnatur ut hos fructus proferat? Nitrum, Aqua simul humida et sicca est? Summe Corrosivum, Corrosivorum hostis ritè praeparatum? Nonne

est gravissimum

Notanda de Glaubero de Alcahest.

Est gravissimum ac levissimum? Ænigma
Cui rei excepto Nitro hoc Philosophorũ congruit? Quod enim nigrius Corvo, candidius Cygno, nocentius Serpente, multos discrucians, levius vento, gravius Auro, illud tu ama.

Nonne Nitrum, verus est liberorum suorum (Metallorũ) helluo? Philosophorum Azoth, sapo sapientum, urina puerorum, sulphur vivum, sal peregri=norum, Ignis secretus Philosophorum?

Nonne haec omnia vere insunt Nitro?

Qua vero methodo inibi deprehendantur meum non est hic ostendere: satis sit indicasse in quo subiecto sint quaerenda et invenienda. Quod ante me nemo amore tactus praestitit.

Ulteriori enim demonstratione, quod scilicet ex Nitro verum solvens universale (noli tibi Aquam fortem imagi=nari) paretur, non est opus.

Quod non scripserim Tincturam super Imperfecta Metalla cum Nitro parari posse (quod ipsi, veteres Phi tribuerunt) cogitet me eo usque non pervenisse, ulteriusque progrediendi tempore et occasione caruisse, neque unquam ad tam ardua as=pirare decrevisse, sed vilioribus contentum esse concludisse.

Vide sodes quid celebratissimus Phus Paracelsus rudi Nitro adscribat, cum dicit: Chymia deprehendit rem in Nitro latere. Inspiciantur Basilius Valentinus, Sendivogius, priscique Phi, quorũ omnia dicta ad huius subiecti operationem accom=modata videbis.

Multi meo tempore Nitrum in Tincturam figere sunt conati

verum quia

in Miraculo Mundi

Notanda ex Glaubero de Alcahest.

Verum quia illud rude, absque debita praeparatione et socio suo receperunt, quale igni mandarunt tale ~~m~~ mansit: fortassis utilius si ei amicabile subiectum iungere novissent.

Certum est unum esse ex Mineralibus quod cum Nitro nostro coniungitur et figitur, duranteque fixatione per omnes colores transit: sed finem rei ignoro qui istum laborem numquam absolverim.

Sal Nitrum, unica est vegetatio, Generatio, Augmentatio, 3 omnium vegetabilium Animalium et Mineralium: eorumdemque Destructio et Regeneratio perpetuâ Elementorum circulatione, ut res de quo orta in idem dissoluta redeat.

Vegetabilium enim Nitrum in corporibus Animalium intercedente digestione ac separatione in Sal minerale generari nemo diffitebitur: Estque Nitrum seu Sal terrae, vegetabile Animale et Minerale, quod de nullo alio subiecto quam Materiâ universali dici potest.

Et quemadmodum Nitrum, vegetabilium Animalium ac Mineralium conservator est: Ita eorumdem est Mors et destructor, eoque ab iisdem et amatur et odio habetur. Vegetabilia illud amant cum in Terra crescentia inde nutrimentum petunt; cum Terra mortua sive salis expers semini nec nutrimentum nec incrementum praestet.

Mineralia in Terrae visceribus crescentia (experientia teste) gaudent Sale ex quo sibi corpora adsciscunt et incrementa faciunt: similiter extra Terram eodem matura ac meliora fieri amant; inter quae Nitrum ut dictum singulari erga Metalla sympathiâ est praeditum. Et contra tam Mineralia quam Animalia ac

vegetabilia

Notanda ex Glaubero de Alcahest.

Vegetabilia Salia horrent si illegitimé congrediantur vel per illud corrupta destruantur:

Sal enim debito more adhibitum unicum esse vegetabilium Animalium ac Mineralium conservatorem auctorem et perfectorem satis liquet, quod omnes Phi confessi sunt: quos inter, Plato Sali aliquid divini adscripsit: Cui Posteri sunt adstipulati, multa in Sale, etiam ipsum Lapidem Phorum quaerentes, sed nescii quodnam esset verum Sal, et quia applicandi praeparandique modus, ultra progredi non potuerunt.

Hinc quivis facilé videt cur veteribus scientia ista Ars Alchymia sic dicta, nempe quasi tractatio et fusio quaedam Salis, quam etiam ob causam istis verbis familiariter utuntur, In Igne et Sale Magisterium consistit: Innuentes beneficio Salis et Ignis veram tam ad hominum sanitatem quam Metallorū perfectionem Medicinam comparandam esse.

Unum addam, Philosophi Materiam universalem obscuré indigitantes dicere, eam ubique reperiri, quam pauper aequé ac dives habere, nec quisquam absque ea vivere possit: unde vulgus Aerem Pluviam Nivem martialem Rorem maialem somniantes, in ista Materiam universalem quaesiverunt: et cum labor felicissimé cessit aliquid Salis nitrosi sunt adepti. Certum est Astra semine suo catholico gravidare Aerem Nubesque, mox formâ Pluviae Nivis Rorisve decidentes Terram foecundatam germinationi aptam reddere: rursusque a calido Aere sursū latum Nitrum suum Terrae relinquere, denuo ab Astris impraegnari, delabi, Terrae fertilitatem conciliare, ne Terra unquam huius universalis seminis inopiâ laboret, sed iugiter rerum vegetationi incumbat, perpetuaque Elementorū circulatio

conservetur

in Miraculo Mundi

Notanda ex Glaubero de Alcahest.

consequitur:
hinc Hermes scripsit idem esse superius quod est inferius. nec tamen ab Astris petendum, cum maiori compendio in propinquo et ante pedes sufficienter habeatur. verba Hermetis sic sonant.

Verba Secretorum Hermetis.

Verum est et ab omni Mendaciorũ involucro remotum Quodcunque inferius est simile est ei quod est superius: per hoc ~~et~~ acquiruntur et perficiuntur Mirabilia unius rei. Quemadmodum etiam omnia ex uno fiunt per considerationem unius: Ita omnia ex uno hoc facta sunt per coniunctionem.
Pater eius est Sol; Mater, Luna; ventus in utero gestavit, nutrix eius est Terra Mater omnis perfectionis. Potentia eius perfecta est si mutitur in Terram. Terram ab Igne separato, subtile et tenue a grosso et crasso, et quidem prudenter cum modestia et sapientia. In Coelum hoc a Terra ascendit, et a Coelo rursus in Terram descendit, et potentiam ac efficaciam Superiorum et Inferiorum recipit. hoc modo acquires gloriam totius Mundi: Propulsabis quasi tenebras omnes et caecitatem: haec enim fortitudo est omni alij fortitudini et potentiae palmam praeripiens: Omnia namque subtilia et crassa duraque penetrare ac subigere potest. hoc modo Mundus conditus est, et hinc Coniunctiones eius mirabiles et effectus mirandi; cum haec via sit per quam haec mira efficiantur: Et propter haec

Hermetis

in Miraculo Mundi

Notanda ex Glaubero de Alcahest.

Hermetis Trismegisti nomine me appellarunt, cum habeam tres partes Sapientiae et Philosophiae universi Mundi. Consummatum est verbum meum quod dixi de Opere So=lari.

Haec sunt verba antiquissimi Philosophi Hermetis, ob per=fectam Naturae cognitionem merito Philosophorum Parentis; quibus satis innuit suam Aviculam sine alis (quae diesque noctesque volans & non [illegible] defatigatur) Superiorum et Inferi=orum Elementorum, Superioris itidem et majoris nec non Inferioris et minoris Mundi conservatricem, Spiritum et vitam in Nitro delitescere.

Quod ut rudis plenius intelligat, perpendat modo Aerem in quo Spiritus universalis primum omnium rerum Ens habitat: sine quo Aere nullum Animal vel horae quadrantem vivit, nec ullum vegetabile ac Minerale produ=citur, nec ipse etiam Sol lucet nec Ignis ardet: quemad=modum excrementa vegetabilium Animalium et Mineraliu(m) perenni Circulatione in Alimenta transmutantur; Elementa in excrementa et haec in Alimenta redeunt indesinenti reno=vatione ac transmutatione, quam solus homo non assequitur.

Novit Agricola, quotannis folia Arboribus delapsa novum vigorem et nutrimentum dare, Pecoris excrementa laetissimum granum producere, Mineraliumque terrae vel excrementa a quibus Metallum semel est separatum, brevi ab Astris impraegnari ut liquata idem Metallum reddant quo paulo ante fuerant exuta: Et Metallorum scoriae passim suis fodinis reddun=tur ubi spacio annuo vi attractrice a Spu universali re=fectae impraegnantur, ut Metallu(m) altera vice fundant.

Annon

Notanda ex Glaubero de Alcahest.

Annon Terra ex qua Salpetra est extractum Aeri ex=
posita aliud Salpetra aliquot Mensium intervallo reddit
quoties velis, ac si nihil fuisset ei extractum
An non omnia calcinata videlicet Calx viva ex Lapidibus
Conchis Lignis herbis parata, ex quibus Ignis Spūm
universalem egit, ingenti appetitu novum Spiritum uni=
versalem attractum in corpoream Nitrum redigunt?

Nonne Calor virtusque Solis, est Solis excrementum sive
superfluum quibus nutritur ac sustentatur?
Si Calor Soli ~~non esset~~ nullus esset, Aer nitrosâ Essentiâ
numquam redderetur gravidus, nec foecunda pluvia distillaret,
nec Terra fructus ferret, Solique rerum nutrimentum cibumq
ipsius conservatorium praeberet: unde consequitur Excretum
excrementia conservationem et alimentum semper esse: Sed
hic iubet Plato quiescere. alibi plura de eo volente dicentur.

Audivimus in Sale et speciatim in Nitro licet ab imperitis
spreto, tam ad veram Medicinam quam ad Alchymiam utilis=
simas ac potentissimas vires inveniri: neque operae pretium
esse ut quis vilitate illius offendatur; cogitandū potius
quod coram Mundo ac imaginariis Phis despicabile est
idem apud Deum verosque Naturae Mystas pretiosissimū
est.

Maneo ergo quod in rerum Naturâ melius subiectum quo
plura ac maiora miracula patrentur, non dari quam Sal
nitrum: unde et ego verum Mercuriū Philosophorum
ex eodem parari posse constanter affirmo: me vero lapidis Phorum
ex eo ~~pr~~ praeparationem nosse non dicere, quod nec unquam sum
aggressus. Sed quae in Metallorū correctione aliquos bonis
artibus

in Miraculo Mundi

Notanda ex Glaubero de Alcahest.

artibus de eo tradidi sola me docuit experientia, cui acquiesco, istaque omnia si res postularet, reique familiari conduceret per partes singulatim demonstrare non dubito, ut omnibus palam ~~fia~~ fiat ea omnia praestari posse, sed non a quovis quonia cum nec hoc fine scripserim ut omnibus praestarentur, alias plenius scripturus, sed ut pendeat amicos haec mandavi.

Notanda ex Jo. R. Glaubero

in suo Tractatu de vero Auro potabili.

Negari nequit a calore Solis vitam proficisci cunctorum: quare Aurum Solem terrestrem sive Corpus fixum et perfectum, Solis radiis coadunatum, cum homine unire quaesiverunt, beneficio vini Spiritus.

Sed forte fortuito evenit quod ostendet haec mea narratio negantes Aurum esse Solis prolem vel Corpus fixum et perfectum metallicum profectum a Solis radiis: interrogantes quomodo Solares radii immateriales, materiales et corporales fieri queant? cumprimis ignari Metallorum Mineraliumque generationis —

Rejectatori veritatis suas objicio quaestiones et rationes confutandas: Et quidem primo unde proveniat incrementum illud et quantitatis et qualitatis liquoris alicujus viscosi mineralis diu Soli expositi in vasculo vitreo patulo? utrum a Sole vel aliunde?

At instas ab Aere proficisci incrementum, omnium rerum vehiculo: Cui, si ab Aere: utrum non a Sole impraegnatus Aer? utrum etiam aliquid in Aere, quod non acceperit Aer ab Astris.

Caeterum colloca ejusmodi liquorem in Cella frigida, vel in Aere humido: et reipsa nullum ponderis incrementum inde factum experiere, quemadmodum in Sole vel ejus vicario scilicet Igne: Attrahet quidem ille liquor humiditatem aliquam phlegmaticam sed quae facile iterum separatur sentiens calorem, relicto liquore ponderis prioris.

Id ipsum probari quoque potest et demonstrari exemplo sequenti: Solve Metallum quoddam sulphureum utpote ferrum Cuprum vel Zinckum vel quovis alio spiritu acido, denique abstrahe Spiritum: remanentiam candefacito, non tamen nimis, sed quantum sufficit ad omnimodam ablationem Spirituum, quam postea (observato prius illius pondere) crucibulo immissam colloca in igne, cave

tamen

Notanda ex Glaubero, in tractatu Auri potabilis.

tamen ne fluat Materia sive Metallum sed saltem obscurè candeat cum crucibulo trium vel quatuor septimanarum spatio quo facto exime itterum, et libra denuò Metallum, et reipsa evidens experiere Metalli tui incrementum.

Quod evidentius sequenti ratione percipies: Colloca Cuprum vel aliud Metallum sulphureum cum sedecim vel octodecim partibus plumbi in Cupella optimè edomata, facta e Cineribus ligni vel ossium in fornace docimastica (observato prius exactissimè pondere Cupellæ Cupri et plumbi) facitoque igne sed non nimio, cum plumbo evanescere Cuprum.

Quo facto exime Cupellam ubi refrixerit, denuòque illam libra, et reperies illam longè graviorem et ponderosiorem: ita ut pondus eius (quantumvis multum plumbi etiam in auras abiverit in Cupellatione) pondus non modo pristinum proprium sed etiam Cupri et plumbi excedat facta Cupellatione.

Quaeritur igitur meritò unde hoc proficiscatur incrementum, utrum ~~nec~~ num Ignis calor fusus coagulatus in corpus metallicum beneficio metalli illius soluti? verisimiliter ~~igig~~ igitur videtur, quod si Matrices invenire possemus metallicas in Terræ superficie in quibus Solis radii, Ignisque calor recepti coagu~~la~~lari possint, in ~~ipsum~~ ijs æquè ac in Terræ visceribus generari possint Metalla.

At instas, verisimile esse Calorem Ignis vulgaris habere secum quid metallicum quod fit attractionis beneficio Metalli fusi in Crucibulo, sed non item in radijs Solaribus.

Qui veritatem sic experiri poterit, exponat nimirum Solis radijs Cupellam optimè edomatam una cum Cupro et plumbo, cui opponat speculum concavum ita ut feriatur a radijs Solaribus in centrum collectis, indeque calefiat: Oportet autem continuò in manu tenere speculum ut iuxta Solem illud vertere sive

dirigere

Notanda ex Glaubero in tractatu Auri potabilis.

dirigere possis iuxta Solis cursum, ne Cupella refrigeret, aut desit Solis radiis, opusque impediatur: Quod si rite observatur pro= perabitur opus non minus quam in fornace ignis calore can= dente.

Oportet autem habere Speculum ad minimum in Diametro latitu= dinem habens duorum pedum, sed saltem habens in profunditate octodecimam vel vigesimam partem globi, ut eo longius radios dejicere possis: oportet etiam exactissime esse laevigatum quo rectis= sime colligere possis in Centrum sive punctum radios.

Haec parenthesis et demonstratio quae alias omitti potuisset, propterea apposita ut appareat quomodo Aurum a Sole profectum, Solisque viribus et proprietatibus occulte praeditum, arte Chymica redu= cibile in id quod fuit ante sui coagulationem, nimirum in Spiritum quendam calefacientem et vivificantem, vires suas et dotes hu= mano corpori communicaturum.

Magnam igitur diligentiam veteres adhibuerunt in Auri reductione in qua nihil praestantius reperere vini Spiritu purissimo et subtilissimo, distillationis beneficio facto.

Non autem elegerunt Aurum commune eliquatum e lapidibus, vel elotum ex Arena, sed Ignis beneficio purgatum philosophiceque vivificatum et reseratum, non quidem adminiculo Spirituum cor= rosivorum, usitato more Chymicorum vulgarium; sed Aquae alicuius beneficio, quam Natura dat sponte absque Distillationis violenta ope, per quam id quod occultum in Auro manifestarunt, mani= festumque occultarunt, ac proin aptum illud ~~reddere~~ reddidere separationi Animae nimirum eius sive Tincturae a corpore crasso et nigro et superfluo.

Sciverunt enim corpus compactum nullam habere affinitatem cum Spiritibus vitalibus Auri: quare ad Elixir suum elegerunt Auri partem solummodo subtilissimam, colorem eius nimirum

sive Tincturam

Notanda ex Glaubero in tractatu Auri potabilis.

sive Tincturam, quam cum vini Spiritu conjunxerunt radicaliter: junctaque Spiritualia simul sive volatilia reddidere ita ut neutrum ab altero in igne iterum separari potuerit: et quidem in Igne simul vel Sublimabilia, vel fixa longiore digestione in Lapidem fixum coagulata, quem pro summo in hoc Mundo habuerunt Thesauro.

in Pharmacopoea 1ª parte.

Notanda ex Glaubero de Alcahest.

Maxima pars existimat quod Alcahest sit Aqua subtilis sive per Instrumenta ex Aere attracta sive aliàs per subtilem distillationem parata, in quo tamen errant: cum interim non negem efficacem etiam Aquam non tantum ex Aere sed et intensissimo etiam Solis lumine elici posse: qualia et ego ipse aliquando paravi.


hoc autem humido-siccum Menstruum quod Alcahest nomino, nil nisi Sal Terrae est, tam in liquida quam sicca forma usurpandum:

Quod et ipsius Etymon prae se fert si recte ~~inspiciatur~~ inspicitur et legitur, nimirum Alcali et est. Nam vocabulum Alcahest ex duobus vocabulis est compositū ex Alcali et est:

ubi l et i per transversam lineam in unum coalescunt litteramque h constituunt: et legitur iam Alcahest: dempta autem transversa linea legitur Alcali est:

Ex quo cuilibet manifestum fit quod nomen illud huic Menstruo ~~temere~~ temere non imposuerim, sed eo ipso subiectū aperte nominaverim.

Varij de hoc Menstruo fuerunt discursus, ac si immerito tam celebre nomen ipsi affinxissem, eo quod ex Sale tantum ortum ducat, subtilis autem Aqua sit Alcahest: hic autem apparet quod alienum nomen ipsi non tribuerim, sed proprio suo nomine insignierim: quod in contendentium gratiam, ne in posterum de nomine amplius controversia esset, indicandum fuit.



Notanda quædam ex Jo. Rud. Glaubero

in 1a parte Operis mineralis.

1 Deus in Terra et in Lapidibus creavit Aurum ut inde illud eruderemus ad nominis sui gloriam et proximi emolumentum, nec nobis interdixit verum et genuinum illius usum.

2 Dato non quamvis Arenam Argillam nec quosvis Silices aliaque fossibilia possidere Aurum sed nonnulla saltem illorum, quorum cognitio habenda.

3 Etsi possint perfici et purificari Metalla nimirum Imperfecta et impura, paucis tamen datum illud Artificium, nec omnes et singuli illud perpetrare apti, quia requirit Artificem ingeniosum et exercitatum.

4 Reperiuntur nonnunquam Montes et petræ integræ aureæ, nec non Montes ingentes Arenâ et Argillâ aureâ repleti; sumptus ablutionis, non restituentibus; vel ob nimiam ~~sua~~ rarefactionem Auri sive Spongiositatem et levitatem propter quam illud Aurum una cum Arena abluitur: quæ omnia et singula quantumvis etiam pauperiora, per salia spiritum possunt extrahi cum lucro, per Antimonium fixari et purificari.

5 Omne genus Silicum plerumque in se continet Aurum invisibile quandoque visibile et invisibile, volatile et corporale simul: plerique vero communiter continent Aurum impurum sordidum volatile, nec non simul maturum; pauca ~~vero~~ autem sulphureo-cupreum.

6 Lapides qui Germanis dicuntur quartzen et hornstein continentes Aurum purum et corporale, etsi mixtum Argento et Cupro torreri sine cremari possunt, conteri et cum Mercurio extrahi, et si Auro abundant cum fluxu liquari: quos labores Mineralium fossores et tractatores non ignorant, de quibus mea non fert intentio scribere, quia de illis

alii etiam

x 7 alii etiam scripsere olim. x Illi vero Silices quartzen et hornstein
vbivis fere reperibiles, modicum saltem in se dispersum continentes
Aurum sordidum, marchasiticum, illudque vel fixum vel volatile,
cum fructu et emolumento separari nequeunt, nimirum neque
per mercurium neque per fluxum; quare a fossoribus negliguntur
vel ex ignorantia vel propter sumptus intolerabiles. Expertus autem
Lapides illos abiectos quantumvis parum possidentes Auri; cum
maximo tamen lucro separari posse; interea mittere nolui hanc
scientiam egregiam publicare in gratiam proximi Christiani. —

x 8. x Quod igitur ad Lapides illos scito plurimos illorum in multis
reperiri locis, cumprimis in Arenosis et montosis; in vno tamen
et altero plures et meliores: raro enim reperitur Arena carens Silicibus,
saepe etiam Arena ipsa quantumvis parva non caret Auro. Commo-
dissime autem quaerantur in littoribus fluminum, vbi Aqua ablu-
tione a Silicibus ablata et separata Arena copiosissimi reperiuntur
qui tamen non adeo facile extrinsece dignoscuntur, sicuti illi qui
in Arena reperiuntur mundi, quia limositate obducti: Quare melius
oportet vt ~~cum~~ confringantur vt appareat quod latet in iis; quod
melius emicat, si in igne cremati extinguuntur in aqua frigida.
Lapis enim albedinem suam retinens facta crematione et extinctione
nihil continet; acquirens vero ~~[illegible]~~ rubedinem conten-
tum in se aurum indicat; et quo maior illa rubedo, eo melius indicium.

x 9 x NB. sed hoc non intelligendum de Lapidibus arenosis, rubescentibus
etiam aliqua ex parte in igne nihil Auri possidentibus; sed de
Silicibus e quorum mutua percussione elicitur ignis, qui quo pu-
x 10 riores eo purius quoque inde elicitur Aurum. x Sunt quoque
Silices e quibus ignis elicitur percussione, rubescentes in igne
qui nihil continent Auri, sed ferrum, quod dignoscere licet e
venusta illorum rubedine ante cremationem, quae facta crematione
abit in obscuram rubedinem non splendidam et crudam: continentes
vero Aurum

Notanda ex Glaubero in 1a parte Operis mineralis.

vero Aurum Silices facta crematione splendidam acquirunt flavedinem auream, vel colorem rubellum ac si essent obducti Auro, atque eam per universam substantiam, si confringuntur in particulas: Atque hi purum putum dant Aurum, illi vero dant quidem extractionem sanguinis instar rubram, sed non Aurum, ferrum vero purum putum malleabile optimum, non contemnendum propter usus chymicos (cumprimis vero Lunam caementandam et exaltandam) aurum enim in ijs rarissime reperitur: id quod probe observandum ne ferrum loco Auri eliciatur, operamque sic perdas et oleum.

11 Optimi sunt quoque Lapides Aurum continentes albi, splendidi, hinc inde praediti per universam substantiam maculis et lineis viridibus, rubris, flavis, caeruleis et fuscis.

12 Reperiuntur quoque Silices nigri e quibus eliciatur ignis, percussione; Aurum possidentes et ferrum qui cum lucro separari possunt, dantes quandoque Aurum copiosum ferrum separabile per artem de qua postea.

13 Optimi quoque Silices retinentes albedinem cremati, venulis praediti viridibus caeruleis alijsque: nec contemnendi qui non venulis cremati praediti, sed maculis nigris.

14 Rara vero sunt petrae quartzen et horstein, etsi in crematione non alterantur, si modo antea visum in illis Aurum volatile et spirituale, vi separationis suum de se dant Aurum.

15 Arena crassa et subtilis aurum continens flammeum et leve, dat in crematione fumum caeruleum et colore exaltatur fusco nimirum: Arena vero nihil continet, quae non alteratur.

16 Terra subtilis flava vel rubra, instar venae transiens Arenae sine montem, continet quoque Aurum quod plerumque volatile esse et immaturum, avolans in reductione, ingressum habens in Lunam aliaque Metalla, ac proin hac ratione considerabile.

17 Melioris cognitionis gratia probare poteris quoque Lapides vitro albo fusili: de qua re actum in parte quarta fornacum philosophicarum

philosophicarum.

Silicum præparatio Aurique in illis contenti
extractio per Spiritum Salis: in calidō.

18 Primo oportet Silices in igne candefactos extinguere in aqua frigida postea inde exemptos refrigeratos subtilissime conterere.

N.B. Quando in Mortario conteruntur, facile separari possunt partes meliores ab ignobilioribus. Dum enim subtilissime conteruntur semper pars melior primò abit in pulverem rubrum, relicta parte ignobiliore crassiore et duriore parum vel nihil continente: et si crassiusculè contriti trajiciuntur per setaceum subtilissimum pars subtilior instar pulveris rubri transit Cribrum, relicta parte inutili in Cribro instar pulveris albi, quæ abjicienda: Et si in ijs aliquid adhuc appareat rubedinis oportet ut denuo conterantur in Mortario, et denuo pars melior abibit in pulverem rubrum relicta parte ignobiliore crassiore alba in Cribro, ac proin abjicienda.

19 Observandum vero non omnes et singulos contritionis beneficio separabiles esse Silices; nonnulli enim contriti unum eundemq[ue] ubivis locorum retinent colorem absque ulla aliqua separatione partium meliorum: quos in tota substantia subtilissime terere et extrahere oportet.

20 Illi vero Silices, separabiles nimirum, facilius extrahuntur, quia omne Aurum in una libra contentum, plerumque colligere licet ex uncijs tribus vel quatuor subtilissime tritis et separatis modo prædicto: ita ut non opus sit totum extrahere Lapidem nec tantam consumere copiam Salis Spiritus

21 Arena vero et Argilla tali non opus habent præparatione, sed absque præmissa præparaõe, Salis Spiritus affusione extrahuntur.

22 Recipe postea Silicum prædicto modo præparatorum et separatorum libram unam, tres, quatuor, aut quinque; quibus in Cucurbita vitrea integra indivisa, affunde Salis Spiritum ad

eminentiam

Notanda ex Glaubero in 1ª parte Operis mineralis.

eminentiam trium vel quatuor digitorum latorum transver=sorum, et colloca in Arena calida vel Balneo ita ut Salis Spi=ritus probè incalescat Aurumque extrahat: atque sic unà relinque quinque sex vel plurium horarum spacio, donec Spiritus supremâ rubedine tinctus nihil amplius extrahere possit: Et si forte prima vice (quod accidit raro) tanta non tingatur rubedine, Spiritus; decantare oportet illum imperfectè tinctum, affundereque alijs Sili=cibus praedicto modo praeparatis in peculiari Cucurbita, nec non collocare ipsum unâ cum Silicibus in calore mediocri, Auri extractionis gratia, quo facto iterum decantare recentibusque reaffundere Silicibus: atque id tantisper repetere dum sufficientem attraxerit Auri quan=titatem: quem Spiritum postea asservare oportet, donec majorem tibi comparaveris copiam, ac omne Aurum inde una vice postea separandum ut dicetur.

23 Quo facto affundo Silicibus reservatis in prima Cucurbita Spi=ritum Salis recentem, eamque tandiu unà cum Silicibus in calore relinquo donec coloretur Spiritus et residuum in Silicibus Aurum extraxerit, quem postea decantatum affundo Silicibus in secunda Cucurbita reservatis; et deinde in tertia, ad residuum in ijs ex=trahendum Aurum prima nimirum vice non extractum, et sic conse=quenter in alijs reservatis, donec nimirū sufficienter coloretur Spiritus, nec amplius quid attrahere valeat, quem postea decan=tare et asservato primo affundere oportet: Oportet autē extractionis remanentiis recentem affundere Spiritum ad omnimodam Auri extractionem: tandem etiam Aquam communem affundere oportet, spiritus auro tincti in Silicibus residui abluendi gratia, ne quid pereat Auri.

24 Atque hic extractionis et ablutionis labor tandiu totiesque repe=tendus, quandiu aliquid superesse Spiritus et Silicum: interea etiā opus est ut abjiciantur extracti Silices et abluti, ut Cucurbitas

recentibus

recentibus repleri possis vilibus inceptumq[ue] continuare laborem.

25 Et si nullus tibi sit amplius Spiritus residuus ad continuandam ~~laborem~~ extractionem oportet Aurum extractum separare a Spiritu, quod fit sequenti ratione: Et primo quidem oportet te habere copiam vasorum vitreorum vel Retortarum ex optima terra confectarum, quæ terra Spiritus retinere possit: quas Retortas eatenus replere oportet Spiritu impragnato ne in abstractione Spiritus ebulliat, quo facto in balneo sicco abstrahendus ab Auro paulatim, quem postea denuo usurpare licet in opere prædicto.

26 Residuum sive in fundo vasorum relictum Aurum a vasis separandum filo ferreo incurvato; et ad usus suos (terræ rubræ simile) asservandum, donec sufficientem acquisiveris quantitatem, quanta nimirum sufficit separari et purgationi, de qua infra, per Antimonium instituendæ.

27 N.B. ubi vero extraxeris cum Salis Spiritu Talcum rubrum Granatos rubros, vel nigros; Smiridem, lapidem Calaminarem aliaque fossilia præter Aurum fixum modicum, continentia multum Auri immaturi et volatilis; oportet ut abstractioni parum adjicias ferri, solutioni nimirum; quod Aurum retinet et figit, avolans alias in fusione.

28. Quare ejusmodi solutiones et extractiones Talci aliorumque Aurum volatile continentium abstrahuntur rectius e Cucurbitis ferreis per Alembicos terreos, quam e Retortis vitreis et terreis, quia tunc ~~[illegible]~~ Aurum illud volatile ~~tantum~~ attrahit inde tantum ferri quantum sibi opus ad fixionem: quod postea ferrum facile iterum separatur per Antimonium ab Auro sicuti postea docebitur.

29 hoc quoque notabile non omnem Granatum solubilem in Salis spiritu etsi diu una cum ipso relinquatur in digestione, suum pristinum

semper

semper retineus colorem: quare differentia illorum habenda, vel præparatio addiscenda, solutioni solis in iis contenti requisita.

30. Cæterum oportet etiam Talcum extrahere calore non nimio sive excessivo, ne tota eius dissolvatur spiritus substantia, ad operis impedimentum; quia parum inde commodi tunc: propterea enim instituitur illud ut Aurum illud modicum dispersum in magna Talci quantitate redigatur in angustiam, ne opus sit magnam illam Talci quantitatem integram fluxuum beneficio fundere cum damno et incommodo

31 Nullum autem in silicibus periculum, quia salis spiritus eos non dissolvit sicut Talcum, sed saltem extrahit inde Aurum relicto corpore lapideo

32. Oportet quoque ut aliter tractetur Lapis Calaminaris in extractione et fixatione, quam Granati, Silices et Talcum: quia totus fere ~~fusibilis~~ solubilis in salis spiritu: qui huc non pertinet labor quia peculiari ratione (de qua alibi) instituitur et extractio et fixatio, nec mei instituti nunc de ea tractare. Sed saltem de extractione e silicibus ubivis reperibilibus.

33. Atque hic est modus ille extractionis Auri e silicibus et Arena per salis spiritum in calore, instituendus in vasis vitreis.

34 Est autem et alius extractionis modus qui fit in frigido absque vasis vitreis, quem etiam apponere operæ pretium esse duxi, ut pro lubitu in opere prædicto hunc vel illum eligere possis, qui via peragitur sequenti

Auri in silicibus contenti extractio per salis spiritum: in frigido.

35. Habemus opus in hoc modo copia infundibulorum terreorum optime vernatorum, salis spiritum non absorbentium: in quorum defectu comparentur vitrea fortia: requiritur quoque stamnum multis foraminibus præditum pro recipiendis infundibulis prædictis, quibus etiam inferne substituuntur scutellæ vitreæ ad recipiendum salis spiritum percolatum.

36. Impositis

36. Impositis, Stamni foraminibus, Infundibulis; oportet primo vt imponatur frustulum crassiusculum Silicis in parte nimirū angustiore, cui postea superimponantur minora, atque his iterū minora, quantum nimirum sufficit ad repletionem partis angustioris Infundibuli, cuius pars postea amplior replenda Silicibus pulverisatis ita tamen vt relinquatur spacium 3 vel 4 digitorum transversorum pro salis Spiritu: hac ratione particulæ illæ crassiusculæ in inferiore parte collocatæ impediunt transgressum pulveris subtilioris Silicum in affusione Spiritus.

37. Quibus recte peractis affunde Silicibus contentis Infundibulis ad eminentiam 2 vel 3 digitorum transversorū salis Spiritum, qui e vestigio aggreditur illos, attrahitque Aurum in ijs contentū transeundo in scutellam appositam.

38. Et quia plerumque prima illa vice vna cum Spiritu aliquid transit quoque pulveris, oportet spiritum illum toties reaffundere Silicibus, donec facta obstructione clarus transeat Spiritus.

39. Postea affunde hunc quoque Spiritum Silicibus contentis in secundo Infundibulo:

40. Deinde Silicibus in tertio quoque contentis Infundibulo: et sic consequenter donec per singulorum Infundibulorum Silices percolatus fuerit Spiritus: vel toties reaffunde donec sufficienter fuerit coloratus: quem postea asservare oportet donec sufficientem nactus fueris copiam, distillationi requisitam per Retortam ad Spiritus separationem ab Auro.

41. Deinde (Spiritu illo primo secundum ordinem per singulorū Infundibulorum Silices percolato et colorato) affunde recentem super Silicibus singulorū Infundibulorum, secundū ordinē nimirū incipiendo a primo donec perveneris ad vltimum donec sufficienter coloratus fuerit.

42. Quo facto, denuo affunde recentem salis Spiritum Silicibus (secundum ordinem) contentis in singulis Infundibulis: Et vbi videris

videris Spiritum transcolatum non tinctum, signum est omne Aurum fuisse extractum antea: quare nullum reaffundas amplius Spiritum, sed Aquam communem transcolationis nimirum gratia, et Aqua attrahet Spiritum Salis residuum Silicibus adhaerescentem ita ut nihil pereat: quam Aquam etiam seorsim asservare debes acidulam, ad eosdem similesque usus.

43. Quo etiam peracto eximes Silices extractos, et recentibus reple singula Infundibula ut antea, extractionis nimirum gratia: Idque tamdiu reitera quandiu tibi supersunt Silices et Spiritus.

44 Oportet autem illum Spiritum non tinctum sufficienter, prima vice affusum, non affundere Spiritui sufficienter colorato Auroque impraegnato, sed seorsum asservare recentibusque reaffundere Silicibus praeparatis, secundum ordinem in diversis contentis Infundibulis, donec etiam sufficienter coloretur; coloratumque unà cum reliquo per Retortas vitreas separare ab Auro extracto abstractionis beneficio: nec non abstractum Spiritum denuò applicare novo Operi nimirum simili.

45 Atque hac ratione poteris cum centum libris Salis Spiritus; extrahere aliquot mille libras Silicum praeparatorum, Aurumque separare contentum in illis, quod alias fusionis beneficio fieri nequit.

46 Consistit autem potissimum Ars in extractione (salis Spiritu rite recteque prius administrato) ne pereat Spiritus: quo pauco Spiritu multae imo plurimae Lapidum extrahuntur librae.

47. Haec autem in hac extractione observanda cautela, quae fit in frigido, quod requirat Salis Spiritum fortiorem, quam illa quae fit in calido Cucurbitarum beneficio: alias enim tardius succedit negotium: Spiritu enim fortiore haec frigida via facilius celeriusque extrahuntur, quam illa quae fit in calido; utpote non adeo periculosa nec laboriosa et sumptuosa. Requirit igitur haec Auri extractio Spiritum Salis fortiorem (quod notatu dignum) ~~illa~~ frigida nimirum, quam illa calida.

48. Atque hic

48. Atque hic modus est ille quo Silices illi aurei aliaque fossilia aurea præparantur, cumque Salis Spiritu extrahuntur, quo etiam ille denuo ab ijs separatur.

49 Nunc etiam sequitur modus purificationis nimirum Auri in Retorta relicti.

50 N.B. Auro extracto e Silicibus puro puto, (non ferreo) non opus est magna industria in ejus purificatione, quia solummodo poteris ipsum purificare fusionis beneficio cum Borace, vel cum fluxu illo facto ex æquali pondere Nitri et Tartari.

51 At si mixtum sit Aurum illud e Silicibus extractum, ferroque inquinatum, sicuti plerumque est, tunc non oportet illud fundere cum fluxu, quia hac ratione non purificatur, nec malleabile redditur Aurum: sed per Saturnum separare; qua ratione malleabile exhibetur et purgatur Aurum

52 Et si tale præter ferrum admixtas quoque habeat Aurum impuritates sulphureas, nec cum ꝗ illud separare oporteat quia tunc partim convertitur in scorias per ferrū reliquasq impuritates non sine damno: quare cum tribus partibus Antimonij purgandum venit et separandum; qua ratione nihil perditur: quæ optima separationis et purificationis via est Auri, nimirum ejusmodi ferrei, sine quâ aliàs absque iacturâ separari nequit.

Quomodo illud Aurum immundum separetur et purificetur per Antimonium.

53. Hic labor scitu est necessarius admodum lucri habendi causa e prædicta extractione Silicum per Salis Spiritum, quæ sine hac separatione et reductione nullius momenti.

54 Et quid commodi quæso ab extractione Auri immaturi quod vulgari illa via eliquari nequit, industriam Artificis requirentis in fusione, quâ fixatur et separatur a fecibus sulphureis?

55 Facile namque conijcere licet Aurum tale spirituale, volatile, ferroque

ferroque mixtum, communi illo fluxu irreducibile esse in corpus potiusque reducibile esse in scoriam.

56. Experientia enim testatur Aurum salis spiritu solutum, nec non ferrum, sive aliud quoddam sulphureum; quod abstracto salis spiritu, reduci nequit integrum beneficio vulgaris illius fluxus compositi e Nitro et Tartaro, in scoriam abiens.

57. Quod si accidit naturaliter fixo Auro corporeo et mundo, quid ni accideret per naturam volatili immundo et incorporeo?

58 Auro enim e Lapidibus extracto, communiter remanente ferreo, ferroque cum Auro maximam habente affinitatem (propter quā difficillime separantur unita, ita ut facilius cum ferro abeat in scoriam quam separetur Aurum) necesse est administrare fluxū non solum Aurum illud immundum attrahentem, sed etiā purificantem et mundificantem.

59 Id quod praestat Antimonium solum, quod sulphure suo incombustibili fusibili Aurum aggreditur illud ferreum, sive ferro mixtum facillime: Mercurio vero suo attrahit Aurū purū putum corporeum, illudque mundificat separatque ab omni sorde sine aliqua iactura: Quare melior dari fluxus nequit, requirens autem industriam sive ingeniosam separationem Antimonii nimirū ab Auro, absque iactura Auri: Id quod fit sequenti modo.

60. Et quidem primo oportet Aurum ferreum, residuum in abstractione spiritus salis, in Retortis sive ollis ferreis, terrae rubrae simile, conterere in pulverem subtilem, atque huic admiscere partes duas vel tres Antimonii pulverisati.

61 Mixtaque in Crucibulo fortissimo repleto et cooperto fundere in fornace nostra quarta, donec instar Aquae fluant.

62. Quo postea apparente signo effundere simul etiam oportet in Conum calefactum, intrinsece cera inunctum, et ubi refrixerint separare Regulum maiorem Auri partem continentem a scoriis, mallei percussione, ipsumque servare seorsim.

63. Quo facto

63. Quo facto oportet Antimonium residuum scoriaceum, multum adhuc possidens Auri denuo fundere in crucibulo, illique adjicere parum limaturæ ferri, admiscendo nimirum cum ferro incurvato, et mortificabitur sulphur illud combustibile antimoniale additione ferri, dabitque Regulum residuum Aurum continentem: qui habita ratione quantitatis ferri additi major vel ~~minor~~ minor erit; et pondere, ferri respondebit ponderi plerumque.

64. Posteaque oportet massam optime fluentem effundere in Conum calefactum, sebo intrinsecè inunctum: factaque refrigeratione Regulum a scoriis separare mallei percussione, quem etiam seorsim reservare oportet.

65. Scoriasque residuas denuo ut antea fundere et cum ferro præcipitare, Regulumque extrahere inde, seorsim etiam asservandum, Aurum continentem, Argento plerumque mixtum.

66. Aurum enim optimum prima semper vice præcipitatur, postea vero vilius, tandem etiam Argentum solum.

67. Quare singuli seorsim asservandi Reguli, ita ut Aurum purum putum habeatur seorsim, seorsim etiam Argentum aureum.

68. N.B. Et si Antimonium ab additione ferri fusibilitate privatur sua, ac proin Regulum dare nequit; opus est ut singulis vicibus quando fit ~~præ~~ præcipitatio ferri additione, semper aliquid etiam adjicias Antimonii fusibilitatem massæ promoventis in crucibulo, Regulique præcipitationem.

69. Redacto omni Auro et Argento in Regulos tres vel quatuor, residuas scorias seorsim etiam ad usus suos reservare debet.

Modus separationis Auri et Argenti ab Antimonio.

70. Multifariam purgari possunt prædicti Reguli Antimoniales: et quidem primò follium beneficio in fictili plano, testa nimirum; uti mos est apud Aurifabros quando fundunt Aurum per Antimonium, qui labor tædiosus est et periculosus, qui absque sanitatis iactura crebro exerceri nequit, nec etiam in

magna

magna quantitate: quare cognita meliori, inconsultum hac incedere via.

71 Possunt etiam isti Reguli plumbi beneficio in testa purificari, qui in magna quantitate quidem deservire potest iste labor, sed magnam etiam requirit copiam et plumbi et Carbonum, ubi Antimonium conservari nequit.

72. Potest autem fieri cum fructu ac proin praeferendus laboribus prioribus.

73. Poterit si placet Regulos praedictos cum sale communi torrere et in Cinerem redigere, postaque fundere: qua ratione facile elicitur Aurum et Argentum.

74 Poterit eos etiam in Crucibulo fundere et salium quorundā additione, ab Auro Argentoque separare Antimonium in scoriā conversum: quo separato illa reperiuntur purificata et malle=abilia.

75 Qui esset hic modus omnium praedictorū facillimus, is tamen quoque admodum periculosus, siquidem saepe salia si non caute proceditur multum spoliant Auri et Argenti: quandoq; etiam Aurum immalleabile relinquunt, ac proin laborē repetere faciunt.

76 Qui vero hoc praestare ~~potuerit~~ noverit per Nitrum unicum et solum, ille poterit magno cum lucro et quidē brevi temporis spatio magnam praedictorum Regulorum copiam purificare absque iactura Auri, Argenti et Antimonii.

78. Sunt et alia media quibus hoc praestari potest, quae omnia et singula recensere taediosum est et impossibile: quare unicū saltem omnium optimum apponam Modum, utilissimum nimirum, ad ingentem Regulorū copiam separandum.

79. Ubi primo requiritur peculiaris aliqua fornacula foco praedita, similis fere illi quae continetur in prima parte fornacū nostrarū philosophicarum, florum sublimandorum gratia extruenda, carens autem Craticula, participa vero respiraculis Carbonū accendendorū causâ,

causa, ut Antimonium ab Auro separatum sublimari sive elevari queat sursum in ollas sublimatorias.

80. Qua rite extructa et calefactu, tantum cochleari injiciendu de Regulo quantum focus ferre potest, qui brevi liquescet paulatimque elevabitur vento attracto respiraculis sine ullo negotio.

81 Quo sublimato, plus injicere poteris si plures habes Regulos donec omnes ab Argento et Auro fuerint separati et sublimati relictis in foco metallibus tuis puris mundis et malleabilibus.

82 fornacula refrigerata poteris eximere flores eosque ad usus suos reservare.

83 Qua ratione non solum licet ingentem Regulorum numerum ab Auro Argentoque separare paucarum horarum spacio, sed etiam totum conservare Antimonium diversimode usurpandu porro in Alchymia et in Medicina maximo cu emolumento. —

84. Poteris flores albissimos ex inferiori camera collectos seorsim asservare pro Medicina universali: reliquos vero minus puriores e reliquis collectos denuo reducere in Regulum cum Sale Tartari variis usibus destinatum.

85 vel poteris ipsos miscere cum aequali pondere Sulphuris communis sive Antimonij, mixtaque in Crucibulo cooperto fundere, et dabitur Antimonium naturali simile, faciens ad Auri purificationem. —

86. Possunt quoque Scoriae praedictae antimoniales redigi in flores et praedicto modo usurpari.

---

87 Non solum Regulus sed quoque etiam Antimonium multifariam usurpari potest in separatione metallorum; Auri nimirum occulti, extractionis gratia: quod alias sine Antimonio fieri nequit, uti e sequenti patebit exemplo.

88. Inventa Marchasita aliqua vel alio quodam fossili ferreo invento, morem non gerente plumbo, da illi partes tres Antimonij

Antimonii, probeque mixta funde in Crucibulo cooperto fusa effunde in Conum: et ubi omnia refrixerint, separa Regulum quem praedicto modo ferri beneficio purga: et reperies Aurum in praedicto fossili contentum.

89. Et si illud Auro copiosiore praeditum, non omne una vice eliciatur primo nimirum Regulo: quare alius quoque fundendus additione novi ferri et salis petrae qui quoque natura aureus Regulus.

90 Et si fossilia ista marchasitica ferrea non fuerint, oportet illis in prima fusione adiicere ferrum et Nitrum, aliàs enim Regulum non dant.

91 E Scoriis additione pluris ferri conficitur plus Reguli iisdem usibus destinati cum illo de quo supra in fusione ~~Auri~~ et separatione Auri extracti: Confici quoque ponderosa e Scoriis possunt.

92 Atque hac ratione facile separantur Calaminaris lapis Marchasita, Kobolt, Zinchum, Talcum, aliaque fossilia Aurum nimirum continentia.

93. Multum potest Regulus antimonialis seu humor radicalis metallicus, quo mira praestari possunt: Redactus enim in Aquam sine corrosivo cuncta resolvit Metalla, mundificat, lavat, et maturat illa, et in meliorem speciem convertit ita ut particulariter inde non exiguus percipiatur fructus. quomodo vero in Aquam reducatur, et quomodo illius Aquae beneficio solvantur metalla, volatilisentur et figantur denuo, luculenter fuit demonstratum per Artephium, Basilium et Paracelsum: quare non opus est illorum hic repetere scripta.

94. Regulus Antimonii est species plumbi masculina, cuius primum ens est Aurum impurum et maturum.

95 Plumbi vero ens primum, Argentum est immaturum et impurum teste experientia.

96 Semper enim Antimonium purgatum et fixatum dat Aurum; vulgi vero Plumbum nonnisi Argentum.

97. Et quia

97. Et quia Antimonium melius est Plumbo communi, ideo vocatur etiam a Philosophis Plumbum philosophorum sive Plumbum illorum sacratum; a multis quidem sic nominatum et paucis vero cognitum: non quod res sit incognita, originis ignotae; sed propter vires suas ignotas.

98. Quare expresse ~~dic~~ dico imperscrutabiles esse Antimonii vires.

99. Imper~~scruta~~ investigabile enim est Antimonium, et centrum omnium rerum.

100. In ipso enim, per ipsum et cum ipso Natura et Ars tendunt ad perfectionem.

Antimonialis tinctura prae caeteris medicinis mirifice evacuat cunctos
101. vitiosos humores.

102. Facta mentione ~~Med~~ Medicinae alicuius universalis conficiendae ex Antimonio praedicto modo usurpato, nolim tibi persuaderes eam esse talem quae omnes in universum absque discrimine tollere posset affectus; quae virtus soli ascribitur Lapidi ~~universali~~ philosophico, minime vero per me huic Antimonii Medicinae; cui non plus tribuo quam didici per experientiam.

103. Hoc autem de ea Antimonii Medicina affirmare ausim in rerum veritate, huic vix aliam praeter Lapidem esse comparabilem.

104. Non enim solum ea praeservatur corpus humanum a variis Morbis sed etiam felicissime liberatur a praesentibus: ita ut merito illa Antimonii Medicina, universalis dici mereatur.

Axiomata physica excerpta Ex Jo. Rudolpho Glaubero in suo 2° libro sive 2a parte Operis mineralis ubi tractatur de ortu et origine Metallorum et Mineralium quo scilicet pacto illa per Astra producantur et Aqua et Terra corpus sibi suscipiant et multiplici forma formentur.

105 Astra, sive Ignis elementum; semen metallicum e suis visceribus excludunt: quod Aer deorsum in Aquam defert, ubi sibi formam palpabilem sive corpus adoptat quod Terra complexa fovet nutrit augetque de forma in formam donec ad perfectum Metallum perveniatur; quod tandem, tanquam mater maturum foetum, in lucem producit: — — —

106 Quae Metallorum conceptio et generatio a Mundi natalibus originem trahens in sua dissolutionem usque durabit: Elementorum enim energiâ, nova in dies generantur; et vetera versâ vice corrumpuntur, id quod non in Metallicis modo sed et in vegetalibus Animalibusque manifestum est.

107 Radii ignei Astrorum insito suo ~~[illegible]~~ impulsu et vi progredi non cessant donec tandem locum offendant Centri ultra quem pergere impossibile sit neque diutius ibidem haerere: sed resilientes per universum Terrarū orbem inde a Centro usque ad circumferentiam dispersi, tellurem fovent et impraegnant: quod ni fieret, siquae sydereae illae virtutes in Terrae Centro permanerent nec unquam sursum remearent, nihil

supra Terram

Axiomata physica ex Glaubero.
in 2a parte operis mineralia

Supra Terram germinare.

108 Igneii radii isti Astrorum ~~dum~~ dum resiliunt, in Terrae porositate pinguem humiditatem corripiunt; haerent, mutuaque mixtione in palpabilem quandam Essentiam coagulantur: ex qua pro natura puri vel impuri loci Metallum suo accidente temporis spacio prognascitur.

109 Pro loci puritate vel impuritate Metalla quoque variantur; unicum enim tantum est Semen ex quo Metalla et Mineralia pullulant, verum locus aliaque accidentia causa sunt dissimilitudinis eorum.

110 In Mundi creatione (Elementis ab invicem nondum separatis sed Chaos existentibus; cum Deus eorum separationem instituisset, locum, quo ponderosior suae Massae pars quae Terra est secederet, constituit: quod et continuo factum; quia omne grave sive Terra suo assignato puncto, tanquam Apex suo centro, sese agglutinavit: Ex quo hic tandem Globus super quo habitamus natus est: — — — — — — — — — —

111 Mox quod proximum erat gravitate Aqua scilicet a caeteris Elementis secessionem fecit, Terraque superficiem ambiit; centrum cum Terrae centro agnoscens: Ita ut si Terra non esset, ipsa Aqua primitus stabilitum ac fundatum gravitatis punctum sua magnitudine circumdaret: Sed quia Terra intercedit Aquis pondere praestans destinatum locum iure merito tuetur, undas dorso suo excipiens: — — — — — —

112 Quoad reliqua duo Elementa, ~~tamen~~ levissimum, videlicet Ignem Deus similiter in suum remisit locum longissime ab inferiori gravium Globo remotum: — — — — — — —

112 Alterum vero

Axiomata physica . de Glaubero.
in 2a parte operis mineralis

112 Alterum vero hunc inter Ignem et Aquam medium <u>Scilicet</u> Aerem, inter modo dicta medium esse voluit. ut ipse iugiter contingenter invicem circulationem foveret atque sustentaret donec ipsa ad aeternum dissoluta in suum unde prodierunt nihilum redigerentur : — — — — — —

113 Neque enim Ignis Aeris expers ardere, nec Aer absque Aqua conservari, nec haec sine Terra nutriri; neque haec utpote mortua quicquam in lucem prodere posset nisi elementum Ignis semen suum prius spiritualiter ipsi ~~[illegible]~~ instillaret, ubi postmodum corporeum et sensibile, quale omnibus viventibus necessarium est, efficitur.

114 Elementum Ignis, Solem puta, Lunam, cum reliquis stellis invisibiles suas vires igneosque radios in Terrae centrum dimittunt ubi congregantur et immensum calorem causant, neque quiete permissi resiliunt, per universum Globum disperguntur, variis dum mirabilibusque Crescentibus quae a Philosophis Mineralia dicuntur impraegnant foventque multifariisque formis perficiunt.

115 Omnia res spiritualis ex quocunque corpore orta, invisibilis, et impalpabilis nihil quicquam ex se sola facere potest; sed spiritus manere cogitur donec ipsi subiectum <u>corporeum</u> occurrat ubi haereat, uniatur, eiusque beneficio in corpoream naturam redigatur, pro subiecti spiritusque puritate, puram: Spiritus, se loco seminis; subiectum vero, Terrae sive matrici respondet in qua ille in sensibile corpus suae naturae congruum excoquitur.

117 Metalla atque Mineralia quo crescunt celerius, eo citius intereunt; et e contra. utque rationabile et mobile Animal

nobilitate

nobilitate et fixitate vegetabile millies superat, ita et Minerale suam ob fixitatem Animal, si immortali anima careat, longè antecellit. — — — — — —

118 Cumque vegetabilia Animalia et Mineralia fatali periodo finita corrumpuntur et in nihilum redeunt, singula eorum Elementa suum sibi capiunt locum, Astra Spiritum, Terra corpus servat quod antè dederat: et principia rei ad sua quaeque redeant principia ex quibus in principio orta: Atque hoc pacto perpetua rerum mora et regeneratio, experientiâ teste, existit.

119 Quicquid citò fit, citò etiam perit, eoque minus est permanentiae. vegetabilia cum Animalibus citò fiunt et citò pereunt; Metalla verò tardè nascuntur et denascuntur, unde haec sola ex tribus regnis vegetabili Animali et Minerali fixissima et eminentissima censenda.

120 Sidereae virtutes per totum Terrae orbem supernè invisibiliter in suum Centrum delatae, obque stupendum eius aestum pedem figere non valentes, resiliunt; et vacuo inquietudinis loco redeunt circumferentiam versus, ubi ex idonea humiditate solidum et compactum corpus metallicum constituunt, ex quo innumerii radii venarum, arborum instar, undique erumpunt augescunt et per totum orbem sparguntur, et summa metallicarum arborum cacumina et fastigia nonnunquam in supremam Terrae superficiem sese extendunt, hominique sese manifestant cumprimis, si quando in montibus insignis fit exundatio aggerem abluens solidique metalli nudatas venas, generis humani bono, oculis exponens.

121 Metalla et

in 2a parte Operis mineralis.

121 Metalla et Semimineralia sive Mineralia ex uno communi Semine ortum habent; sed per accidens in varias species et formas discriminantur: — — — — —

122 Astrorum enim virtutes junctim in Terrae Centrum delatae sola non manent sed invicem mixtae in Montium cavernis pedem refigunt, quaerentes locum ubi corpus sibi fabricent, qui si purus est purum quoque Metallum editur sin impurus impurum: — — — — — — — —

123 Estque talis locus Matrici simillimus a Masculo Semen concipiendi quod in corpus efformet foveat et ad maturitatem excoctum perficiat. — — — — — — — —

124 Astrales vero Spiritus virilis seminis vicem subeunt quod accedente humida Terra in Cavernis, ut Matrice exceptum nutritur et in diversas formas metallicas et corpora palpabilia pro loci puritate effigiatur. — — — — — —

125 Ex uno ergo Semine accidentaliter varias Metallorū species generari ex hoc etiam palàm fit quod Metalla dum adhuc sunt in fieri sensim maturiora evadunt magisque et magis meliorantur, et quotidiana experientia teste non tantum sub Terra sed et supra eam nobilitantur. — — — —

126 hinc est quod fossores immaturam Mineram putà Bismuthum Coboltum vel Zinchum effodientes, argenti more examinantes et nil invenientes, sese aequo maturius venisse dicitent, quam Aeri expositam post aliquot annos explorantes multum argenti continere reperiunt.

127 Si commune Metallorum Semen semper matricem mundam et aptam nansciscetur nec accidentaria impedimenta intervenirent nihil aliud quam Aurum summa Metallorum perfectio ex eo generaretur.

128. Si vulgare

Axiomata physica. ex Glaubero.
in 2a parte operis mineralis.

128. Si vulgare plumbum iuxta vulgarem Cupellarū probationem parum tantum argenti possideat, maturantium salium beneficio brevi digestione ~~istum~~ istuc perfici potest ut multum argenti post longiorem vero digestionem vel fixationem etiam aurum quod antea non inerat de se fundat, evidenter perspicitur Naturam non contentam fuisse ut Saturnus talis maneret, sed ut argentum et aurum fieret: Taceo quod et reliqua imperfecta corpora digestione maturentur ut fixum argentum et aurum de se praebeant: — — — — — — —

129 Simili modo Metalla spuria vel Mineralia Antimonium Cobaltum Zincum Bismuthum et id genus alia fugienda sunt ut probum solem et lunam in cupella post se relinquant. —

Vides ergo non esse Naturae culpam quod tot imperfecta sint metalla sed externis impedimentis imputandum: Nam si imperfectis Aurum in potentia non lateret, qua arte in actum diduceretur?

130 Si Aqua pluvia vase excepta in calore Solis vel Aeris exhalet, remanet Terra quae innata vi absque seminis accessione varias plantulas animalcula vermiculos et muscas producit: Idem in Metallicis accidit cum Sol vel aliud astrum in humidam Terram operatur congregantur vires Astrales et corporeae factae varia mineralia atque Metalla secundum matricis humidaeve Terrae puritatem exhibent: ubi Aqua, matricis; Astra, patris seminisve locum occupant. — — —

131 Quemadmodum nec in Centro Terrae ubi omnia sicca, Metalla generari possibile est: Sed longe a Centro ubi Aqua Terram humectant, quibus se centrales Spiritus iungere inque corpora metallica abire possunt. — — — — —

132 Siccus enim Spiritus ob siccitatem se in corpus coagulare non valet

non valet sed apto indiget subiecto de quo corpus sibi assumat, quod est Aqua. — — — — — —

133 Quamprimum spiritus sulphureus Aquae est mixtus, non amplius communis est Aqua sed rudimentum et principium metallicae generationis, a Philosophis nomine Mercurii insignita, non vulgaris illius iam metallici facti, sed Aqua viscosa quam Metallarii (Gur sive) fermentantem spumam cognominant, quae commodo loco contenta debitoque Centri calore et humiditate fota, temporis tractu in Metallum maturatur. — — —

134 Fit igitur haec Metallorum conceptio et generatio non in Terrae modo profundo mediantibus centralibus sursum latis spiritibus sed et in superficie, Astris inuisibiles radios subtili et pingui Terrae infundentibus, vbi seruati corpori euadunt. — —

135. Nam siderius ignis numquam vires suas Terrae infundere variisque vegetabilium iuxta et Animalium Mineraliumque foetibus proue Matricem offendunt impraegnare.

136 Plurima Metalla in Terrae penetralibus, paucissima propè circumferentiam producuntur, quorum semen in abysso potentius quam in circumferentia deprehenditur, viribus sydereis ingiter centrum versus festinantibus; ~~contraria pugnantibus~~ transitumque non inuenientibus, mutuo pugnantibus vrgentibus aestumque ingentem causantibus, quorum repercussione totus globus valdè interius incalescit omnique Mineralium genere grauidatur. —

137. hac ergo ratione cuncta Mineralia et Metalla tam in profundo quam in circumferentia ex subtilissimo semine astrali, idoneo ~~humido~~ humore in quo corpus sibi fabricet proueantur. —
Nec quisquam miretur quod ex insensibili subtilissimoque vapore calido si cum humore iungatur Metalla generentur.

138 Non de coelo delabuntur ~~ista~~ ipsa instar lapidis de tecto, spiritualia descendunt

descendunt, et in terra nacta locum commodum mediante Aqua corpus induunt pondusque ex terra petunt: ut et reliqua vegetabilium et animalium semina formam tantum, incrementum vitamque non ipsum corpus suppeditare notissimum est.

139 Ex Mercurio quidem atque Sulphure Metalla oriri certum est, at non vulgaribus istis sed supra memoratis; astrali videlicet, sulphureo, calido, sicco, et spirituali anima, terrestrique Aqua viscosa, ex quorum mutua tanquam Masculini et foeminini seminis coniunctione omnia Metalla nascuntur.

140 Libenter vero et sum expertus Saturnum et Antimonium more philosophico in Mercurium id est in Aquam viscosam redacta, facillime cum Sole et Luna iungi, et vel absque ipsis figi; putatitium vero istum Mercurium Saturni in Metallorū melioratione quicquam laudabile praestitisse numquam videre contigit.

141 Si currens Mercurius Metallorum principium existeret in omnibus utique vel plerisque metallorum fodinis aliquantula sua portio reperiretur, sed quia non reperitur necessario vanum istud figmentum est habendum. — — — — — —

142. Naturam vero ex astrali Spiritu terrestrique Aqua, prima Metallorum rudimenta formare omnes Philosophi uno ore contestantur cum aiunt omnem rem arte in illud ex quo primitus facta reduci posse. — — — — — —

143. Cumque Metalla absque omni corrosivo in Aquam viscosam restitui, haecque Aqua debito calore vel digestione in puriores melioresque formas metallicas transmutari possit, ex hac Aqua, ista Metalla prodiisse indubitato est credendum; nec

Metalla modo

Axiomata physica. de Glaubero.

in 2a parte operis mineralis,

Metalla modo verum etiam multos Lapides resque minerales sive metalla contineant sive eorum sint expertes, sub vel super terram inventos, primitus eadem ortus sui initia habere constat: quemadmodum fossores in argentariis Montibus alias res effodientes casu in huiusmodi curam incidisse vidi, dum adipis massam reddentes quorum unus ea secum domum lata calceos inunxit quos postridie in durum lapidem abiisse deprehendit.

145 Metallum in primam Materiam, cura simili, reductum in experti Artificis est manu: ita ut quamcumque formam voluerit induat: neque unquam eadem meliorari potest nisi antea in primam Materiam reuocatum. — — — —

146 In solido metallo, ex quibus illud partibus sit compositum animadverti nequit, resolutum vero illas prodit. Animâ suâ, in quâ vita et tota dignitas hospitatur, extractione privatum; deinceps amplius non est Metallum, nam absque liquabilitate metallica friabilem inanem terram refert, totaque bonitas in pauxilla Anima sidereique seminis virilis quantitate latet, reliquum corpus mortuus vilisque terra existit.

147 Nitrum aliaque salia in humida terra a sole evidenter producuntur, quod in sicca numquam fieret. — — —

Quisque in scriptis Philosophi de Metallorum melioratione agentes semper Incerationis meminerunt intentioni suae apprime necessaria: In hoc opere humiditas est patiens, Calor, Agentis vices subit: Id quod in vegetalibus Ani=malibus ac Mineralibus observandum ubi nihil absque debita humectatione ad perfectionem contingere maturantisque caloris.

caloris actionem tolerare valet: quo que spissior et viscosior est Aqua eo matrici aptior est, auidiusque et alterius Semen inibi haeret germinatque: quo vero tenuior eo quoque vegetationi seminis ineptior est indicanda. — —

148 Aqua ~~Metallica~~ per se Metallum fieri nequit nisi ab Astris prius semine impraegnata, vegetanteque vitâ donata; quod Semen, cunctorum Metallorum origo est anima et vita, cuius quo sunt plus participes eo meliora et fixiora quoque esse oportet. — — — — — — —

149. Sententiae ergo huic firmiter adstipulor, Metalla suam animam Spiritum et vitam ab Astris tanquam Semine universali nancisci: corpus ab Aqua universali Matre; proque eius situ et puritate vel impedimentis, corporum diversitatem bonitatisque gradus derivare: et ab homine, in cuius gratiam cuncta facta ~~est~~ sunt tanquam nobilissima Creatura, magna auiditate impendiis periculisque e magni Animalis visceribus eruta in multiplices suos usus praeparari et elaborari.

150 Omnibus Creaturis certus est praefixus terminus quo-usque perveniant vel vitam protrahant, quod ~~praedestinatum~~ praedestinatum tempus si praecidatur metamque non assequatur, ex accidenti est non Naturae imputandum; quod multifariis fit rationibus pro inimicorum in quos Creaturae incidere variante ratione.

151 Aliis enim frigidus nocet Aer sistens crescentiam ut in Metallis videre est a trunco avulsis Aerique expositis non amplius crescentibus; sed qualia ~~[illegible]~~ devulsa, sive matura sint, sive immatura manentibus, si novam Matricem nanciscantur, quemadmodum Planta Terram, denuo crescere et ad perfectionem ~~fe~~ festinare incipit. — — — — — — — — —

Aliis Aer

152 Alijs Aer vita est, ut vegetabilibus et Animalibus quo spoliata moriuntur et expirant. Piscibus Aer mors, Aqua vero vita est, quae Bipedibus et Quadrupedibus mors et interitus. — — — — — — — — —

153 Et quemadmodum singula Elementa suos quaeque foetus habent quos fovent; Ita et aliarum rerum destructores sunt: quod Metallorum ortus et interitus perspicue docet. — — — — — —

154 Quamprimum enim Metalla concepta in Terra crescere incipiunt salinae cuiusdam naturae participia fiunt, tanquam Matricis in qua vel ex qua postmodum perficiuntur: in qua quandiu non interrupta manent pergunt in quantitate et qualitate melio=rata: Quamprimum vero contrarium Aer puta vel Aqua communis obviat, in Matrice progredi prohibentur et mori=untur, utriusque ob subtilissimum hoc sal dum in fieri manent sunt impatientissima: Nam si Aer invadat, vita eorum in volatili sale consistens elevatur et ab Astris retrahitur:

155 Si vero Aqua irruat, soluta proluuntur, Matrice a contrario Elemento destructa; unde talia in primo Ente instar embry=onis iacentia et vel levissimae corruptioni obnoxia Metalla intereunt, destinatamque ob deleteria accidentia perfectionem numquam assequuntur. — — — — — — — —

156 Quae vero semicocta sunt Metalla virilem aetatem propemodum consecuta plus tolerare possunt, externisque iniurijs melius resistere, quorum sal tenerum in sulphur abijt Aquae Aerisque corruptioni non amplius obnoxium. — — — — —

157 Matura vero et perfecta Metalla, et si a trunco non amputentur in Terra a qua nullum amplius nutrimentum habent, sulphureo tegumento deposito; Naturae (praesidio atque tutela abdicata) decrepitae, cui humidum radicale exsiccatur, recte respondent:

ab eodem enim

ab eodem enim, unde sata, Sale astrali vel vehementi coruscatione dissoluta depascuntur et in nihilum redeguntur: in quibus haud minus quam in vegetabilibus et Animalibus Natura perpetuam ortus et interitus circulationem observat. — — —

158 Accidit interdum ut fossores Metallum ab Astrali Sale, tanquam favum ab Apibus, excavatum reperiantur, sed sero venisse dicere consuescant. unde eadem coruscatio, Metallorum principium et finis esse concluditur.

159 In semper udis et paludosis locis Astra Superiora aptum habent generandi Metalla subjectum, ut Belgio teste ubi quotannis peculiarem Cespitem vel Terram igni pro lignis praebendam (Turff dictam) effodiunt: quae Terra praeter Sulphur, Arsenicum etiam ferrumque et Cuprum continet, non tamen quaevis sed quae ex profundissimis eruitur, et Backert vocatur: relicta Terra Veen dicta praeter Sulphur et paucum Arsenicum, raro aliud quid habet; altera vero, Sulphuris et Arsenici plurimum, inductis insalubris ignis: quae quamvis 20, 30, vel 40 pedum altitudinem habeat, vix tamen ultra quintum sextum vel ad summum decimum pedem extrahunt, quia in profunditate omni caret Sulphure, focoque inepta. — — — — —

160 Quod si quando Cespitem bituminosum exploraturi, paludisve altitudinem indagaturi, vel fundum arenosum petituri, decumanis terebris aggerem extrahunt, quo profundius eo minus sulphuris et in imo nullum omnino deprehendunt. — — — unde istud Sulphur Arsenicum vel in Terra latens minerale originem non interne sed superne traxisse patet.

Notanda ex Glaubero

in 3a parte operis mineralis.

161 Stannum si suam naturam et proprietatem spectes inter reliqua imperfecta est purum, immaturum plurimo sulphure combustibili praeditum Metallum: unde suam in Igne liquabilitatem et corruptibilitatem est adeptum; qua sublata, quod leni Igne fieri potest, metallicam fluiditatem perdidit, illiquabili Cineri simillimum: Cui si aliud addas sulphur quo cinis iste in Metallum redeat, iterumque in cinerem convertas, repetendo hunc laborem donec omni combustibili sulphure combusto, calcinatione in cinerem abire nequeat; funditur et in examine facile dat suum Aurum et Argentum.

162 Quod enim plumbo stannum admixtum igne forti litem moveat, sursum scandens in cinerem abeat, id combustibili sulphuri imputandum; quod etiam cum Auro Argento Cupro et Ferro fusum frangibilia reddit instar vitri: tostione vero incineratione caementatione vel alio quovis modo spoliatum isto sulphure non amplius fragibilia reddit (quod tamen difficultatis plena res est) sed cum his funditur, et separatur cum venere quae blandis et dolosis verbis inter Saturnum et Jovem ut se mutuo in igne tolerent conciliare novit.

163. Sunt et alii modi stannum a suo superfluo sulphure purgandi nempe ignis Nitrosus. Si limatum stannum cum Nitro sulphure et Serragine mixtum accendatur, pars stanni in flores elevatur, pars remanet igne forti reducenda, praedictaque ratione

ratione donec ~~sub~~ tota substantia in flores cineresque abierit
administranda si metallica forma, naturâ planissimè destructâ,
postea flores et receptaculis colliguntur et cineres lixiviantur
seu eluuntur, denique fluoris beneficio in metallū reducuntur
iterum limandum sublimandum urendum ut antea, donec
totum stannum instar scoriarum remaneat, non sublimabile,
cum plumbo fundendum et separandum et invenies Aurū
et Argentum in suis visceribus conclusum.

164 Aliter. Limatum stannum perfunde nitro fixo, suoque
tempore digere, humiditatem exhalantem novo liquore supple
ut semper humescat non vero nimis liquescat sed sit instar
spissae aquae. hic liquor ustibile stanni sulphur solvit et
absumit, incombustibile figit ignisque reddit patiens ut
cum plumbo fusum et purgatum suum Aurū et Argentum
praebeat.

165 Alio modo separatio instituitur. Stannum cum vulgari plumbo
vel regulo Antimonij redige in vitrum vel amausum quod
diu in forti igne et fluxu serva (noli incinerationis Nitri vel
salis Tartari obliviscj) quo opere puriores stanni partes
congregatae regulum dant, impurioribus cum plumbo
et sale in scorias secedentibus, regulo repurgato fixum et
servatum Aurum et Argentum in Cupella habebis.

166 Sciendum vero huiusmodi operationes absque Cupro quidem
patrari posse, plus tamen Auri et Argenti si Cuprū addatur
exhiberi: non quia ipsum Cuprum, suum fundit Aurum et
Argentum; sed quia stannum per se absque Cupri admixtione
non libenter suum Aurum et Argentum dimittit: sed apud
Cuprum

Cuprum, suum quaerendo perfugium in scorijs se subtrahens illic absconditur; usque dum labore absoluto, scoriae illud non amplius intra se trahere possunt: Tunc ergo Cuprum loco receptaculi ubi se colligit, e qua massa separatum Aurum et Argentū tueri potest et occultare: quod Chymici Balneum appellant.

---

167 Potest et hoc pacto Aurum et Argentum ex Stanno separari: Sub testudine in catino fluat commune plumbum, bene calido parum injiciatur Stanni, ingreditur actutum, sed mox ascendens accenditur instar scintillarum ardentium, in Cineres abiens, unciculo abstrahendos: Denuo Stannum immittatur, combustū abstrahatur: Repete hunc laborem donec totum plumbum Stanno absumptum sit. Cineres sub testudine in catino adhuc per horam bene candeant ut si qua plumbi grana adsint Cineres fiant et in eo melius Cinis Jovis calcinatus figatur, quem reducito, erit Metallum quod sub testudine candens iterum Cinis fiat. Itera hunc laborem donec reductione in Metallum abire respuat sed scoria et destructum Metallum maneat, in Crucibulo optimo, addito et Tartaro Nitroque parato fluore suum tempus fluat, Stannum fixum cum plumbi parte in Regulum sedet ad fundum, qui lotus in Stannum absconsū Aurum et Argentum manifestum reddit. Labor hic elegans est, facilis, pauciorumque praesertim ubi ligna et carbones viles sunt sumptuum egens. Scoriae a quibus rex secessionem fecit non pereunt: sed alijs usibus mox dicendis destinantur.

168. Qui vero ex hoc parvo sub testudine labore lucrum sibi pollicetur fallitur, quia sic solum quantum Auri et Argenti in Centenario Stanni sit, vestigatur; quantisque sumptibus eliquandum quo

melius

melius quid lucri in singulos dies expectandum supputari queat. Neque etiam hic labor sub tegula tam commodè perficitur atque in maioribus furnis maiorem ferventibus ignis calorem, et proinde lucrum uberius in copia pollicetur. Qui qua ratione vi largos fundat reditus instruendus est, licet ipse ob varias occupationes non tentarim, paucis delineabo.

169. Iuxta calculum de minori quantitate supputatum; Centenarius, 10 vel 12 Centenarios plumbi, re prudenter administrata, requirit: Collecto vero plumbi stanni carbonum laborisque pretio, et ab Auro abstracto; pauculum remanere impensisque, opus respondere videtur. Si vero penitus introspicias, fructū haud spernendum emersurum perspicies, si scilicet plumbum adhibeas Argento impraegnatum, sed quod impensis non praeponderatis et eorum nondum sit separatum: Aureum itidem stannū quale non raro invenitur tanti valoris aurum continens quo ipsum stannum venditur: cuiusmodi plumbum etiam reperitur cuius pretio inclusum Argentum aequipollet, sed a Metallurgis non separatum quia huius separationis sunt ignari; vulgarique via utiliter seponi nequit, qua opus sit quaestuosius: Stanno addantur aurei vel argentei lapides seu mineræ quales sunt Marcasita Antimonium Arsenicum Auripigmentum Coboltum varii Pyrita sive Kisii, alias ob Auri paucitatem numquam liquari soliti, et in scorias redigantur; qui et ipsi suum Aurū atque Argentum contenentes maius lucrum suppeditant: maxime si huiusmodi lapides seu mineræ prius cum Cupro fusæ ferri beneficio in regulum redigantur, mox regulus cum stanno iniecto plumbo in scorias abeat: tunc eorū Aurum absque magnis impensis acquiritur et per stannū separatur.

170 Sed si proficuus

Notanda ex Glaubero in 3a parte Operis mineralis.

170 Sed si proficua debeat esse haec separatio in vasibulis non administranda, sed in bene compactis fociis super quibus luculenta flamma discurrens metalla bene calefaciat, peractaque calcinatione incineratione vel annihilatione in fornace acuta reductio fiat.

171 Ex ferro absque omni corrosivo paratur sal quod Auro animam extrahere potest, ut hoc semimortuum remaneat Mars vero ingravidatur ut foetum edere valeat: debilitatū Aurum ex Cupro et Antimonio amissum colorem viresque recu-
perat. * unde dicit Cosmopolita, Propterea unum datur
×172 metallum quod habet potestatem alia consumendi est enim fere ut aqua eorum et fere mater, unica tantum res, humidū radicale Solis videlicet et Lunae, resistit ei; et melioratur per illud, sed ut derogam Chalybs ~~et~~ vocatur; si videlicet coit Aurum cum eo, emittit semen suum et debilitatur fere ad mortem usque, concipit Chalybs et generat filium patre clariorē postea cum semen iam nati ponitur in suam matricem purgat illam et facit millesies aptiorem ad pariendum optimos fructus.

173 Est et alius Chalybs qui assimilatur huic per se a Natura creatus qui scit ex radiis Solis mirabili vi et virtute elicere illud quod tot homines quaesiverunt et Operis nr̄i initium est. Non ignoro ipsum Cosmopolitam non vulgare ~~ve~~ ferrum velle intelligere sed intimam citra corrosiva paratam partem paucisque cognitam magneticam vim et essentiam prae omnibus rebus ~~Animam~~ Animam Solis avidissime attrahentem et trans-mutantem.

174 Alia ex

Notanda ex Glaubero in 3a parte operis mineralis.

174 Alia ex imperfectis metallis, per Saturnum Auri et Argenti separatio. Primo plumbum super catino bene fluat adde Stannum et Cuprum debito pondere mixta, fundantur statim una Stannum et ferrum: corrumpere Plumbum in scorias flavae terrae similes redactum: reducta ex parte suu Plumbum et Cuprum restituunt, Stannum vero et ferrum instar scoriarum nigrarum quae asservandae. Plumbum cupreum iterum probe fluat, rursum adde Stannum et ferrum, et fiant ex scoriae mox reducendae. Repetatur hic scorificationis reductionisque labor donec ex 100 libris Plumbi vix una duaeve librae remanserint, lavandae; et invenies Aurum et Argentum ex parte, quae metalla ex ~~parte~~ hac operatione dederunt. Scoriae vero quae reduci non potuerant in peculiari furno aliquot dies bene candefiant, figantur, dabuntque in reductione Aureum Argenteumque Saturnum lavandum ut residuum Aurum et argentum quod scoriae combiberant elicitum, nobis usui esse possit. hic labor, quem in magna quantitate experiri numquam licuit, meo iudicio in copia haud dubie succedet. Cuique tentare, liberum est; et quantum lucri quotannis inde haberi possit exacte computare.

---

165 homo erat Saturnus qui duos habebat filios Bismuthum et Jovem: Junior Jupiter dicebat patri Saturno Da mihi portionem meam: (Nota bene, Bismuthum et Jupiter tam a Philosophis quam ab Antiquis Metallurgis semper plumbum sunt habita; Bismuthum, plumbum cinereum; Jupiter, plumbum candidum; ~~et~~ Saturnus, vero plumbum nigrum; vocitata sunt.) contumacem et immorigerum se exhibenti id. Je ... Jovi, dat pater portionem, ipse Jupiter cum illa portione peregre abiit

abit. Nota bene. Cum Jupiter et Bismuthum igne cum Saturno experiuntur, separatur Jupiter a Saturno et Bismutho et ascendens aliquid de Saturno secum aufert, et Scoria contumax evadit; quod est probe discernendum. Diversorium intrat ubi est hospes: et hospita signum Mundi id est ♁ in tabula pensili habebat, qui ipsum exceptum cunctis bonis paternis exuebant; (Solutio:) Tanta gliscit annonae caritas, (Siccitas;) ut homines prae fame toti etiam deformarentur; (corruptio:) cui accedens porcos curare, (id est cum foetido Nitro depurare:) siliquisque, (Tartaro;) vesci cogitur: (inceratio imbibitio.) quibus ille humiliatus, (digestio, circulatio, ablutio, edulcoratio, purificatio;) revertitur ad patrem, (incorporatio;) qui cum gaudio eum excipit (ingressus;) tanquam filium perditum (Aliquid nihil et nihil iterum Aliquid) factum: promit vestem novam (argenteam) digito indit annulum (argentum deauratum:) postea constans manet apud patrem bonus et frugi oeconomus. (id est fixum metallum.)

176 Quod hanc imperfectorum corporum praecipue Jovis transmutationem, parabolae de filio perdito compararim, nemo vertat vitio; facilioris cognitionis ergo, feci; magnum subest Arcanum: in universis laboribus nusquam similem mutationem notavi. Primo enim in solutione apparet Nigredo suum tempus permanens; sequitur Cauda pavonis, viriditas, tandem Albedo. An vero si diutius in digestione detineatur, rubedo successura sit, incertus sum qui numquam ultra Albedinem perveni. Jucundissimus est labor, artificis animum insigniter exhilarans, paucorum sumptuum, neque difficultatis si pondus noveris et bona vasa. viam commonstrat, foresque ad altiora secreta pandit. Felix qui rem assequitur nec visu nec admiratione satiabitur quam diversa generosa pulchra et gloriosa in suis recessibus sit Natura.

Ex Jacobo Fontano.

Luna agit in Cerebrū. Luna sua frigiditate et humiditate agit potius in Cerebrum quam in alia membra, cuius cerebri affectio est vertigo et casus propter temperiem frigidam et humidam qua Cerebrum praeditum est.

Causae agentes agunt maxime in subiecta disposita, cerebrū frigidum humidum recipit potius Lunae influxū frigidum et humidum quam aliud membrum; praesertim cū in coniunctione cum Sole, Luna sit maxime frigida propter privationem luminis: Nam si ex Aristotele, Luna plena facta, est

Luna plena quasi alter Sol. quasi alter Sol et propter calorem illius crescunt medullae animalium: cum est orbata lumine ut in Novilunio est maxime frigida atque ideo decrescunt humores: nihil ergo mirum si in Novilunio propter suam magnam frigiditatem pariat morbum frigidum in Cerebro frigido.

Caloris nativi debilitas. Duae sunt causae quae calori nativo debilitatem et tandem interitum adferunt; dissipatio a calore vehementi, et extinctio a frigore vehementi.

Venti. Ventus ex terra et aliis rebus oritur per aeris dilatationem a calore genitam.

E cavernis terrenis flatus saepe oriuntur, ex quibus terrae

Terrae motus. motus producuntur: et in Mari commotiones magnae exoriuntur ex flatu e mari egrediente, ut Nautae testantur. Ita in aere ex dilatatione Nubium crassarum, solis vi nascitur

Ventus. ventus: quamobrem saepe Nautae conspiciendo nubium dilatationem et dissipationem in aere antequam ventus nascatur praedicunt ventum futurum ea parte.

In tractatu de Astrologia medica. in 8°.
Lugduni MDCXX.

Ex Adriano Alemano

Venti frigidi et humidi. Author de diaeta contendit omnes ventos frigidos et humidos, quoniam e niuibus, glacie, gelu, stagnis, fluminibus ac locis humidis prodeunt: ideoque omnes suapte natura refrigerant et humectant, verum pro locorum unde vel per quae spirant diuersitate, magis vel minus. Nam qui e paludibus ac niuibus ortum ducunt, humidissimi sunt; qui e mari procedunt, sicciores his; e locis mediterraneis multo sicciores; e montibus siccissimi. Ventus in uno loco siccus, in altero humidus esse potest.

Venti refrigerantes. Venti omnes validi refrigerant, exsiccant serenitatem inducunt: Languidi calefaciunt, humectant, pluuias inducunt. Boreas igitur validissimus natura et situ refrigerat, siccat, serenitatem parit: quapropter saluberrimus omnium ventorum Aquilo existit. Auster contra pluuiosus est.

Calor contemperans frigiditatem. Venti orientales caloris et siccitatis moderate sunt participes, quia Sol eos illustrat; matutinique temporis calor contemperat noctis frigiditatem: Occidentales inaequaliter refrigerant et humectant.

Aquam Theophrastus asserebat, quo frigidior est, eo plantis commodiorem esse: tum et lutosa et turbulenta quae praesertim delabitur a solo fertili, reddi agrum pinguiorem constat.

Aquae frigidiores. Et certum aquas qualescunque tectas umbra, frigidiores clariores sed crudiores, duriores et crassiores esse quam sine quas lustrauerit Sol: quod frigoris sit comprimere, constringere, in duritiem cogere, ut patet de Chrystallo quod nascitur ex gelu vehementiore concreto: Dulcescunt, gelu consumente et velut exprimente materiam ad saporem gignendum aptam. hinc incoctiles et tardi transitus sunt, tardique calescunt, in quibus legumina tardissime elixantur: quod intelligi velim de aquis coelo aperto expositis: Nam subterraneae calore

calore et igneo spiritu, terrae visceribus insito, coquuntur.

Aqua decocta melior.

Aquas distillatio reddit meliores: et si istud non fuerit commodum, decoctio emendabit illas, Aqua enim decocta sicut dixerunt sapientes minoris est inflammationis, et facilioris descensus a ventriculo. Et torpidi quidã medici existimant aquã coctam subtilioribus partibus dissipatis euadere crassiorem: quod si verum esset, in coquendo nullum contingeret iuuamentum, cum spissior euadat. Sed scire debes quod Aqua simplex similibus partibus constat: ergo crassior redditur frigiditate, vel partium terrestrium admixtione. Vtriusq; causae decoctio leniter simul obsistit, nam frigus depellit, et partes terrenas descendere cogit.

Colorem in corpore humano parit humor; coloris vero nitorem aut si mavis bonitatem (quem Arabes albedinem vocant) natiuus calor: Pallorem seu decolorationem, caloris inopia seu frigiditas affert. Sed quomodo frigus urit? per similitudinem: Nam sicut ignis humiditatem consumendo et continuum separando, adurit; Ita frigus quaecunque contingit eorum substantiam contrahit, condensat et constringit, teste Galeno; Substantia contracta tenues humores excernuntur, calor natiuus extinguitur; ac diuellendo frigidum, continuum soluit.

frigus urit.

Macris et siccis locis durescunt homines, humidis tabescunt, frigidis horrescunt, calidis soluuntur.

Ex commentariis Adriani Alemani, Medici: in librũ Hippocratis de aere aquis et locis. in 8°
Parisiis 1557.

Ex Hippocrate Coo.

Plātae trahunt sibi simile ex terra alimentū.

Medicamenta diuersimode purgant.

Etenim ut medicamentum receptum in corpore fuerit, primum illud educit quod ipsi in fuerit familiare, ac tum deinceps alia trahit educitque: Quemadmodum & terra nascentia, semina scilicet et plantae, ubi terrae mandata fuerint, unumquodque trahit quod intra terram inesse fuerit naturae suae conueniens: Inest autem in terra acidum et amarum et dulce et salsum ac variè temperatum succum: Ac primum quidem plurimum eius quod cuique familiare esse contigerit trahitur, deinde alia. Itidem intro assumpta medicamenta faciunt: Nam quae bilem educendi facultatem habent, primùm eam purgant, quam meracissimam, mox aliam mixtam. Similiter pituitae pharmaca, primùm synceram pituitam educunt, deinceps et confusam aliam.

Rursus nec generatio futura est, nisi calidum frigidum humidū siccum mutuò ac temperatè, nec non aequali modo sese compatiantur: quod si alterum altero valentius infirmiusve fuerit, ex illis generari nihil potest.

Per interitū singula ad suā naturā redeunt.

Quando corpus humanum interit, necessum est singula ad suam naturam conuerti, ut potè humidum ad humidum; et quod siccum est, ad siccum; et frigidum ad frigidum. Huiusmodi autem tum animantium tum caeterarum rerum omnium est natura: Nam cuncta simili modo nascuntur et similiter desinunt.

Pituita. Augescit pituita hyeme, huic enim prae caeteris quae homini insunt maxima est cum ~~cor~~ hyeme affinitas, quippe quae est maximè frigida. Per aestatem sanguis viget et bilis in corpore gliscit,

Bilis. usque ad Autumnū quo tempore sanguis quidem paucus generatur, contrarius enim ipsius naturae Autumnus est: Nam praeterquam quod sicca est Autumni natura, per ipsum insuper homines refrigerari

Atrabilis. incipiunt, ac tum bilis atra plurima est et eadem valentissima. Vere etiamnū valida est pituita, et sanguis augetur, nam et frigora remissiora vigent, et imbres succedunt: qua ratione sanguis augescit, conuenienter potissimum ea parte anni quae calida est et humida.

In tractatu de Natura hominis. in 8° Argentorati M.D.LVIII.

Ex Hermanno Follino.

pirituum varietas. Magna in corpore physico Spirituum varietas est, saepe salutares et noxii in uno corpore cohabitant velut in Arsenico; saepe vitales et non vitales in una re velut in Sulphure mercurio et antimonio perspiciuntur: haec enim Mineralia dum vivunt prout e fodinis eruta sunt plus detrimenti quam utilitatis afferunt, venenum potius quam Medicina sunt: At ubi vitam amiserunt coagulatione et praecipitatione, vel sublimatione calcinatione et in oleum versa sunt, diuina a veris Medicis dona existimantur.

Metalla viuunt Sic Metalla per suam sulphuream pinguedinem qua fluunt dicuntur viuere, hac sublatâ mortua existimantur. Herbarum Radicum pomorum aliorumque fructuum vita, liquor terrae consistit: Lignorum, resina quadam sine qua nequeunt virescere. denique unumquodque habet per quod viuere dicitur.

Hominis vita quid sit. Hominis vero vita est balsamus astralis coelestis ac inuisibilis ignis, inclusus aer, et tingens salis spiritus; quem si quid latentem non manifestis viribus, puta frigore calore aut simili alterat vel inficit et mortificat, id venenum homini iudicatur.

Nutrimentum hominis substantiam humanam auget; venenū, destruit; Medicamentum vero, alterat.

Strangulatio non minus in fungis quam in Sanguine Taurino Aconito et gypso conspicitur, quare haec venena inter se communes *ethales Spūs* quosdam lethales Spiritus possidere concedendū esse existimo.

Ubi Napellus nascitur, Natura ibi Antoram vel Antitoram producit, cuius radix geminâ adversus epotū Napellum, pestilentiâ, aliaque venena nullum est efficacius remedium.

Analogia pestis cū Aconito in eo posita est quod sicut haec herba non calore urente, vel frigore stupefaciente, sed caeca vi soloque *caeca vis.* contactu hominem celeriter interficit; sic pestis similiter imo facilius contaminat et hominem e medio tollit.

al Septicum arsenico. Arsenicū suo sale septico corporis partes exurit, nigrefacit, incrustat et lobum corrupta carnis tandem excutit: Sic et pestis, velut quaedam in bubone pestilenti, quaedam in pustulis malignis, omnia in carbunculo venenato manifesta sunt.

In Amuleto Antoniano. in 8°. Antuerpiae MDCXVIII.

Ex Roberto à Fluctibus.

Non est difficile ei qui ad summum naturalis Philosophiæ culmen attigerit, res à Natura ritè præpa=
activa cũ passivis mira producunt. ratas ita accommodare ut applicatione activorum cum passivis ante tempus à Natura ~~præparatum~~ ordinatum effectus admirabiles producantur qui apud vulgus pro miraculis habentur, cum tamen opera merè naturalia sint: Immo sunt nonnulli qui vel scintilla unica fulgoris veræ philosophiæ illuminati, in mense Martio rosas producere et uvas maturare queant; similiter ut sata faba vel petroselinum intra paucas horas in perfectam plantam excrescant.

Semen cœleste. Stellam terrestrem seu semen cœleste Philosophia divina e corpore perfectiori educens primo quod terræ philosophicæ per artem præparatæ immissum et calore temperato in pulverem album aut rubeum vel in liquorem igneum deductum, inferiora corpora ad naturam superiorũ traditur convertisse.

ignis naturæ. Nec ignis vulgi sed naturæ, nec fornaces artificiales sed vasa et matrices naturales in opere philosophico requiruntur; cum sit solius Naturæ opus in quo non requiritur nisi exiguum ministri auxilium quo naturalia naturalibus speciei congruentibus ritè administrentur.

Medium aereum est influentiarum cœlestium receptaculũ, thesaurum æthereum in ipso inclusum alijs elementis et elementatis impertiens. Ex quo patet species omniũ
species rerũ naturaliũ. rerũ naturalium in aere occultè impressas esse, tanquã imagines rerũ in actu producendarũ in speculo quodam divino.

Terra Aqua Aer Ignis. Aqua grossa est terra: Aer grossus est aqua: Ignis grossus est aer: Et Æther grossus est elementũ ignis:

Et

Ex Roberto a Fluctibus.

Aether. Est ~~aether~~ grossior Empyrei pars sic aether: ita ut
secundum Divi Petri 2.3. vers.4 Coelum et Terra
fuerint ab origine de aqua et per aquam: Nam Spiritus
Spiritus Empyreus. Empyreus est aqua omnium tenuissima, nam constatur
ex tribus partibus formae lucidae et unica tantum aquae,
qui ~~Spi~~ Spiritus omnium creaturarū purissimus est, unde
supercaelestis est et totus fere formalis, cuius appetitus
abundanter completus est, et nectare quasi igneo et divino
Spiritus aethereus. inebriatur. Sic etiam Spiritus aethereus medium Mundi
locum ~~obtinet~~ possidet, quia ex aequalibus partibus aquae
et lucis componitur: in huius ergo centro seu medietate
Sphaera illa aequalitatis collocatur, in qua Sol motum suū
Solis compositio. facit. Ex quibus patet Solis compositionem esse ex aequali
parte ~~aqua~~ aquae et lucis, a cuius sede sursū magis pro=
grediendo, gradatim abundat lucis proportio super illam
materiae; deorsū vero petendo, materiae proportio gradatim
excedit illam lucis: Ex quibus patet quod uti cum ipso Deo
mera et absolutissima manet forma ab omni creatione
et materia libera; sic in terra sua sedi opposita et remo=
Materialitas. tiori, mera est materialitas et corpulentia, et ab omni
luce nisi contingente et adventitia libera; et per conse=
quens quod Sphaera illa aequalitatis quam Sol inhabitat
medium locū possideat inter utraque illa extrema, harmo=
niam a divino ~~lumine~~ numine spirituali recipiens,
eamq[ue] in terram divina voluntate influens. Spiritus
Spiritus elementaris. deniq[ue] elementaris qui est grossior aquae pars, ex tribus
materiae partibus constat et unica tantum formae: unde
res in hac regione contentae et ex quatuor suis gradibus
Corruptibilitas. conflatae mutationi sunt obnoxiae et corruptibiles quoniā
earū appetitus numquā compleri potest propter abundantiā
materiae et formae paucitatem: unde observare possumus
Calor quod ut calor est qualitas essentialis et activa ipsius lucis
ab eius motu et vivacitate excitata et orta, sic etiam

3

Ex Roberto a Fluctibus.

Frigiditas. Frigiditas et opposita opacitatem tenebrositatem et materialitatem amplectatur: unde certum est quod ut illa qualitas effectus actionum lucis esse dignoscitur sic etiam haec ab hylae visceribus post lucis apparitionem a caloris excitatione extracta est, ex quarum actionibus intermediis **Humiditas.** humiditas generatur, cuius absentia nihil aliud est quam siccitas.

Materia grossior. Quo magis distat materia a forma nobilitate, eo grossior, impurior, obscurior, et indignior est. Hinc etiam rerum creaturarum et substantiarum diversitas, hinc earum perfectio et imperfectio, cruditas et maturitas, spissitudo et subtilitas, volatilitas et fixatio, obscuritas et splendor, gravitas et levitas, omnisque omnium rerum proportio: unde Mercurius Trismegistus, Res distinctae librataeque sunt igneo spiritu eas vehente. **Forma.** Haec ipsa denique forma perfectio essentiam cuiuslibet creaturae tam visibilis quam invisibilis produxit. Nam in Angelis est quaedam splendens intelligentia, perfusaque per eos rationis terminos, diversis tamen gradibus, secundum suscipientis naturam suscepta: In coelestibus virtutem produxit vivificam, unde vita et efficax propagatio cum splendore vivifica a stellis inferioribus induuntur: In hominibus est lucidus rationis discursus: In caeteris animalibus est ignis occultus actiones vitae et sensus manifeste gubernans: In vegetalibus est anima quaedam lucida circa eorum centra delitescens, vegetationem et multiplicationem causans in infinitum: In mineralibus est etiam splendoris scintilla versus perfectionis metam illa promovens: atque ita quaelibet **Lux.** creatura actiones et proprietates suas a luce recipit, unde patet quod omnia Naturae arcana ab huius creaturae proprietate derivata fuerint et originem suam virtutis sumpserint et quod nihil in hoc Mundo peractum fuerit sine lucis mediatione aut actu divino. In suo tractatu apologetico pro Rosea Cruce in 8°. Lugduni Batavorum. 1617.

Ex Jo. Bapt Montano.

Multa notatu digna.

Spiritus dat calorem

Fluit Spiritus in corpore existens ut det calorem actualem omnibus partibus corporis: quia sine huiusmodi Spiritu non essent calida actu sed tantum potentia sicut sunt omnia medicamenta: qui Spiritus perpetuo fluens a corde et per omnes partes diffusus dat formam corpori: Ideo Averroes dicebat Calor et Spiritus fluens a corde est veluti calor qui in pituita est, unde dat vitam membris et est causa omnium operationum quae in humano corpore fiunt. Quomodo autem differt calor a Spiritu? notetis, Spiritus ille et humidum illud spirans vel membrum similare humidum spirans, perpetuo fluit a corde et diffunditur per corpus et per partes varias facientes operationes diversas; quatenus in arteriis et in corde movetur habet aliam substantiam et aliam qualitatem naturalem quam habebat in aliis partibus: Et quantum ad qualitatem eius, ibi est caliditas et siccitas, est etiam sub-

Spiritus est substantia ignea.

stantia ignea, ideo indiget eventatione plurima, ut ignis, aliter extingueretur; et ideo generatus est pulmo, et arteria ut attrahant aerem copiosius, ut eventetur: Et quia tenuis substantia est et facile difflatur ideo Natura cor densum fecit, ut retineretur; et arteriam cum duplici membrana ut non difflaretur, quia mobilis est nec unquam permanet, quia igneae assimilatur substantiae: Cum vero diffunditur per corpus dans actum membris et formam, dum inquam fluit extra arterias ad hepar, ab hepate ad ventriculum, et dat cavitates membrorum ubi fiunt concoctiones, dum transit inquam ad ea loca, efficitur alterius naturae et qualitatis et substantiae;

Spiritus ex calido et sicco, fit calidus et humidus

et cum prius caliditas et siccitas esset, fit calidus et humidus quoad temperiem: quo vero ad substantiam fit crassioris substantiae: praeterea quantum ad motus, tardi motus, et mutat nomen: et ubi Spiritus prius vocabatur, nunc

calor innatus.

calor innatus appellatur. Hunc Spiritum aperuit Galenus

Ex Jo. Bap. Montano.

Super eo Aphorismo Qui Crescunt. duodecimo vero Therap. dicit, Et sic quidem spiritus naturalis (si quis spus naturalis est) mutat ergo nomen dum existit in partibus istis. De hoc calore et spiritu dicit Galenus quinto de simpl. medic. ubi loquitur de suppuratione, quod est quidam spiritus mixtus qui tanquam in potentia est ad alios spiritus: Sive igitur spiritus proprio nomine appelletur, sive calor naturalis, ille est qui perpetuo fluit de corde, sed mutat substantiam

Spiritus naturalis, et calor naalis idem.

et nomen: hunc si vultis appellare spiritum naturalem vel calorem naturalem, de nominibus non facio difficultatem: Quando vero idem spiritus ad cerebrum transit ibi mutat nomen et substantiam et qualitatem: quamprimum enim in cerebro est mutat temperiem et cum primo esset calidus

spiritus naalis temperatur in cerebro.

et siccus, ex frigiditate et humiditate cerebri temperatur. Ideo Arist. in secundo de partibus animalium ubi docuit usum maximum cerebri, dixit cerebrum frigidum et humidum a natura ita factum fuisse ut contemperet caliditatem et siccitatem spiritus emanantis a corde: qua ratione cali=ditatis et siccitatis eius non erat aptus facere opera ani=malia, quod non fuit in aliis partibus corporis, quia ca=lidus idoneus est ad alia opera perficienda. Et cum tale cerebrum quod debet esse frigidum et humidum fuerit calidum

unde sit inconstans homo.

et siccum, talis homo erit multarum operationum, non tamen stabilis sed inconstans, mobilis in operationibus, et si magis acuitur, erit malus in operationibus, protervus, pessimi ingenii, malorum discursuum, et hoc est contra opinionem vulgarium qui ex caliditate cerebri bonitatem ingenii arguunt. hoc est contra Arist. et Galenum. Requiritur igitur frigi=ditas et humiditas cerebri ad optimum ingenium, ideo generatum est frigidum et humidum ut contemperaretur spiritus propter operationes animales cerebri, ut depuraretur et lucidus fieret et ad motum aptior secundum animae

imperium

imperium quia instrumentum est animae: Cum ergo in
Spiritus vitalis. corde est vitalis appellatur; Cum vero in venis hepatis et
in alijs partibus corporis in quibus fiunt cotiones innatus
Calor innatus. calor nuncupatur: Et cum est in cerebro spiritus
Spiritus animalis. animalis, et mutat substantiam qualitatem et motum,
et haec de sibus similaribus membris quae dici possunt
per methodum.

Aqua est primum humidorum non frigidorum, nam terra
est primum frigidorum: humiditas enim facit aerem converti
in aquam dum adiungitur ipsi frigiditati. frigiditas autem
Aqua iuncta humiditati facit aquam esse aquam ratione humiditatis, et frigiditas iuncta siccitati facit terram; humiditas
Aer vero iuncta caliditati facit aerem, et patet hoc, quoniam si
tollatur humiditas et adhibeatur loco eius siccitas ipsi caliditati
Ignis tunc fit ignis. per frigiditatem ergo adiunctā humiditati
aqua est aqua: Aqua ergo primum humidorum: quod autem
aqua non sit primum frigidorum notate, non enim est dubiū
quod si aqua esset primum frigidorū non posset magis infrigidari, tamen accidit ut magis infrigidetur dum fit glacies
vel nix quae sunt frigidiora quam aqua: Ideo aqua non est
primum frigidorum, sicut igni non potest addi caliditas aliqua
(nam calidorum ignis est primum): Sic in nive et glacie est
maior frigiditas quam in aqua. unde bene dicebat Alexāder
quod glacies est media inter aquam et terram: Sicut et aqua
calefacta est media inter ignem et aquam: non enim potest
esse quod fiat aqua ex glacie, quia in aqua est minor frigiditas quam in glacie: Sicuti et ipsa glacies potest fieri
Aqua per cōgelationem terrestris fit. terra quoniam aqua fit terrestris per congelationem, et ideo
glacies est longe frigidior quam aqua. Et consequenter terra
est frigidior et aqua ipsa et glacie: At nullus locus est magis
infimus quam locus terrae qui appellatur centrum: ad centrū
tendit terra sicut caliditas quae est in supremo loco tendit ad
circumferentiā ignis. Dicimus itaque terrā esse primum

frigidorum, non autem aquam.

Calor insitus. Calor insitus a Spiritu vitali fit, a quo vicissim Spiritu per arterias sursum elato atque in reticulari plexu elaborato

Animalis Spiritus. animalis spiritus generatur, in cerebro tanquam in arce consistit, unde per nervos (nervi enim in cerebro tracti ac profecti in corpus omne ducuntur) in universum corpus diffusus animalem hoc est movendi sentiendique facultatem praestat.

vitalis Spiritus. At vitalis, ex aereo spiritu, sanguinisque tenui subtiliq; parte genitus, in corde domicilium habet, atque ad reliqua corporis membra per arterias amandatus vitales actiones concitat et producit.

naturalis Spiritus. Porro naturalis Spiritus si quis est, uti ceteri ex corde ortus, in iecinore veluti suique principatum tenet ac functiones naturales attrahendo, retinendo, concoquendo, alendo, expellendoque efficit.

Ex opusculis variis. in 8°. Basileae M.D.LVIII.

Ex eodem.

febris est calor corrupt⁹. Febris nihil aliud est quam calor corruptus sive igneus, et a nulla alia causa provenit ista corruptio nisi a calore extrinseco agente in humidum radicale, et ille calor aequaliter accendit ipsum atque inflammat: et ubi factus est ita igneus, putrefacit, aut quod alterat unam partem et putrefacit alteram: Sed calor naturalis non putrefacit et alterat unam partem et alteram derelinquit, sed aequaliter concoquit.

cur generentur vermes. Intendit Natura generare vermes ex putri materia, quoniam Natura semper intendit generationem et non corruptionem: ideo melius fuit ratione boni universalis generare vermes quam relinquere ibi materiam putridam sine vita. Est etiam alia ratio quam ponit Avicenna quia generantur ex ipsa putredine, quae est in Mundo, ac ex ipsa depascuntur, et sic Natura instituit ipsos ut tollerent illam putredinem, et absumerent excrementa. At in corpore viventi non est eadem

ratio

ratio quoniam non tantum absumunt excrementa, sed etiam bonam optimamque partem.

Luciditas in vrina. Luciditas in vrina fit ex multitudine seu copia spirituum et caloris innati in corpore existentis, ex quo optimae coctiones et tales lucidae sequuntur vrinae: si vero ab hoc extremo parum declinaverit, lucida quidem erit sed non ut prius erit vrina, et ita sensim ad alterum extremum id est obscuritatem accedet. Ne autem decipiamini, circa hoc notandum est quod non tantum ex spirituum atque caloris abundantia fit splendor in vrina, sed etiam ex spiritibus et calore igneo, et praeternaturali, aut intrinsecus aut extrinsecus advenientes ipsi vrinae. Si enim extrinsecus, veluti si apponatur ad ignem, vel ad solem etiam quae turbulenta est, fiet lucida: radii enim solares et ignis vrinae substantiam rarefaciunt, ita ut lumen extrinsecus facile recipiat, unde lucida magis et transparens evadet; Intrinsecus etiam idem contingit, quando videlicet est copia spirituum

calor praeternaturalis. et caloris praeternaturalis, ut in statu et augmento febris vrina apparebit lucidior quam in principio et declinatione propter multitudinem spirituum et caloris praeternaturalis. Nonnulli vero Medici hoc ignorantes, cum vident in statu et augmento vrinas bonas, incipiunt laetari et credunt esse bonum signum et incipere concoctionem; et non animadvertunt hoc contingere propter multitudinem caloris et spirituum praeternaturalium:

vrinae odor. Vrinae odor erit bonus vel malus per accidens: ut ubi quis comederit res foetidas facit vrinam odoratam, si quis autem comederit res odoriferas facit vrinam foetidam: ut si quis Anisum ederit quod provocat vrinam et illae vrinae reddunt ab humoribus foetidis ideo sunt foetidae: per contrarium etiam

vrina odorata. Therebinthum si comedat aliquis facit vrinam optime odoratam: unde autem fit hoc, vidimus de provocantibus vrinam; At hoc non potest esse alia de causa quam quod videmus in aliis sublimationibus, et fere in omnibus: vidimus etiam

aqua odorifera. alias hoc, ut aliquando ex foetido aliquo aqua odorifera,

Ex Jo. Bap. Montano. Ex Jo. Diurio.

ut ex Trifolio; Et aliquando a minime foetido foetidum aliquod extrahatur; ut ab oleo communi fit substantia oleaginosa foetidissima: per contrarium si accipiatur illud oleum foetidum et in alia distillatione ad tepidum impositū sit ignem, odoratissimum redditur. Sic intrinsecus contingit, si cibus optime concoctus fuerit nullus redditur odor malus: sed si oppositū contingit scilicet quod non fiat bona concoctio, tunc et excrementa et ipse cibus foetent. Foetor seu malus odor si ab intrinseco provenit, fere semper exitialis est: sicuti in febribus pestiferis foetent urina propter ingentem humorum putrefactionem, ac tunc in illo nulla redemptio est.

oleum foetidum.

foetor exitialis.

Ex tractatu de febribus, et de urinis. in 12°. Parisijs 1555.

Ex Jo. Diurio Bellouaco.

spūs alitur odorib.

Corpus remedijs medicinae curatur: Spiritus autem, ac seu sanguinis vapor et quasi corporis et animi nodus, aeris odoribus sonisque et cantibus temperatur et alitur.

aegritudo frigida.

Qui calidam infrigidat aegritudinem ultra id quod oportet, sanatiuam excedens commoderationem; alteram operatur aegritudinem frigidam: ut igitur hoc non fiat, naturā nosse ~~opus~~ oportet eius cujus corpus curatur, ut quantū amota est eius aegritudo a commoderato imponatur et aequalis medicinae mensura, quae suo auxilio aequaliter infrigidet.

Corpora animātiū ex elementis fiunt.

Animantium corpora ex quatuor sic fiunt elementis aut ex ipsorū qualitatibus: Nam soliditas corporū ex terra elemento fit: humores autem ipsius ab aqua educuntur: vaporosi quidem spiritus ab ipso aere fiunt: Illorum vero calores ab ipso gignuntur igne. Sic enim Altissimus rerum Opifex Deus ex simplicibus naturis compositas creauit.

Duplicia sunt corporis receptacula: quorum illud ciborum

corpus

corpus alit: aliud vero aereum, cuius anima nutritur.

In confesso est omnibus Medicis rationalem animae vim in Cerebro, virilem vero atque irascibilem in corde, et concupiscibilem in iecore sitas esse.

Effectus Planetarū. Rerum causae agentes ipsum sequuntur Solem: Materiae vero Lunam: Causarum agentium foecunditas Venerem: Expiditio velox ad effectum propter vehementem calorem, Martem: propter multiplicem virtutem, Mercurium: et cunctarum continuatio, Saturnum. Rursumque calor vivificus Soli, adurens Marti, superficies varia Mercurio, humor aereus Iovi, aqueus Lunae, mixtus Veneri, et moles tota Saturno attributa est.

Semen plantae. Ut Plantae semen indiget terra suae naturae conformi ut nutrimentum trahat et augmentum suscipiat: Sic aīalium semen matrice semper indiget et eorumdem gratia: Nam quale in Plantis terra, tale in aīalibus est matrix nutrimentum conferens.

formae occultae. Citra qualitates manifestas ad mixtorū generationem concurrentes quaedam sunt occultae formae ad illas non reducibiles, ab occultis sydereum influentijs aut incognitis materiae dispositionibus accidentes: quibus ipsa mixta, et si eiusdem sint speciei, agunt, et patiuntur interdū occultas actiones atq; passiones.

Sensus de spū, et spūs de sanguine. Talis est hominis sensus qualis est eius spūs: Spiritus autem talis qualis est ipsius sanguis.

calidum et frigidū. Cum calidi est dilatare et frigidi constringere: cuius venae sunt amplae is est natura calidus: et cuius strictae, natura frigidus censetur.

frigidis membris frigida inimica sunt, calida vero ipsis amicantur. frigida autem sunt quae sanguine privantur, calida quae in ipso abundant.

Aer calidus. Lucidus nimis et calidus aer relaxat corpus, frigidus autem et obscurus constringit: Temperatus vero oblectat et temperat.

Aeris luminositas vivifica dissoluendo spiritus, visum

multum debilitat: ipsius vero obscuritas illos congregando roborat.

Putredo. Omnia res putredo a calore fit non natiuo, atque extraneo: proprius enim conseruat, sed alienus corrumpit.

Ut minor flamma maiore excipitur et absumitur: sic natiuus calor accidentali: nam ut maius minori aduersatur, ita et accidentalis naturali.

In calidis et humidis locis, calida et humida quaecunque citissime putrescunt: in frigidis autem et siccis tardius.

digestio Quum digestio nihil est quam cibi mutatio secundum similem corporis qualitatem: Calida et humida cibaria sunt caeteris meliora, frigida autem et sicca aliis deteriora.

frigida ciborum collectio in ventriculo remanentes humores gignit acerbos: Calida autem fumositates generat: et sic morbus calidus fumositatem gignit, et frigidus acetositatem.

ocium A frigiditate contingit ocium: propter calorem autem immoderatus motus.

Ut a liquore foetido vas mundum inficitur, et contra.

corruptio. Sic a corpore mala qualitate affecto corrumpuntur bonorum ciborum succi: et a malis cibis sanum corpus aegrotatur.

Ut notabilis vini portio in vase infecti, reliquam vini partem corrumpit; aut feculentum vas liquores quibus imbuitur; Sic in membro, succorum pars alterata, integram ipsorum massam inficit, et corporis pars vitiata integrum corpus vitiat.

Naturalis virtus saporibus praesertim roboratur, odoribus vero vitalis; et Animalis vocibus sonisque iuuatur et coloribus.

vinum utile. In frigidis morbis a vino haudquaquam abstinendum est: concoquit enim id semicrudos succos quantum aliud quiduis: tum sudorem urinamque permouet, ac somnum conciliat.

Ex Io. Diurio Bellouaco. Ex Augerio.

infrigidatio. | Superecalefacti membri extrema infrigidatio humores coarctando naturam membri corrumpit, et ad esthiomenum ducit.
Sanguis ab aequali genitus calore, cu[m] plus iusto calefit, sius unctuosum subtile in cholera[m] conuertitur: et crassum sius terrestre in ipsam melancholiam.

Ex Sermio Medicinae. in 8°. Parrisijs 1519.

Ex Augerio Ferrerio Tolosate.

Tria sunt in morbo gallico praecipua, a quibus curatiuae indicationes sumuntur. Primo est vitiosoru[m] et corruptorum humorum copia: Alterum putredo. Tertium contagio. Copia putredinem alit et auget. Putredo adul-
putredo | terata caliditatis index est: adulteratus calor concoctionem vitiat, humores adustioni obtemperantes adurit, caeteros autem dissoluit, aut resoluta subtili substantia condensat ac incrassat: Sic enim adustione crassi, densi, ac tenaci quadam irrigatione, lenti humores euadunt: Lentorem
obstructio. | ac crassitiem consequitur obstructio: Obstructione impeditur transpiratio, fouetur contagio, augetur quae ex contagione ortum ducebat putrefactio; unde infinita ma-
adventiti⁹ calor. | la oriri videmus. Dissolutis aduentitio calore humoribus fiunt distillationes et defluxus; atque ex his pectoris affectus, stomachi subuersiones, colli et articuloru[m] dolores,
contagio. | tuberositates, nodi, et similia. Contagione vitiatur sanguificatio, corrumpuntur humores, inficiuntur spiritus, deprauatur quae in singulis partibus efficitur concoctio, et assimilatio. Unde excrementosum totius corporis habitum reddi contingit: praecipue vero cerebrum alimentu[m] quod ad se defertur concoquendo, et propter infectas qualitatis vitium perfecte assimilare recusans, excrementis repletur;

Ex Augerio Ferrerio Tolosate. Ex hollyngo.
Ex Ferrario.

quibus in varias corporis partes distributis, infinita excitantur morborum et symptomatum genera. Constat ergo varium hunc malorum concursum ex una contagione, adiuncta putredine proficisci. Quibus omnibus abigendis propellendisque opus est remediis contraria quodammodo facultate praeditis. Contagio enim ea quae infectioni resistunt postulat; (ventilatio.) Putredo ventilationem, putrium et semiputrium concoctionem; Adulteratus calor refrigerationem, et emendationem; Rentor ac vastities detersionem apertionemque; Corruptorum humorum copia multiplicem ac variam evacuationem.

Ex tractatu de lue hispanica. in 8° Parrisiis 1564.

Ex Edmundo hollyngo. Anglo.

(medicamenta frigida.) Frigida Medicamenta ut in actum deducantur, indigent calore nostro: quod inde cognoscimus, quoniam in corporibus calidis medicamenta frigida citius ac fortius operari conspicimus, quam in frigidis: imo si frigidioribus offerantur, alimenta potius evadere quam medicamenta. (Cicuta) Legimus enim vetulae cuidam Atticae Cicutam haud aliter quam sturnis qui frigidam habent corporis constitutionem cibum extitisse, non alia de causa nisi quod simile; simile namque (veteri proverbio) simili delectatur, et secundum vulgarium Medicorū axioma nutritur a simili.

Ex Medicamentorū Oeconomia. in 8°. Ingolstadii. 1615.

Ex Ferrario Lipensi.

(terra.) Terra in generatis iuuamentum praestat ad retensionem faciendam et fixionem et ad conseruandas figuras et formas: Corpus namque extreme siccum ac frigidū Terram nuncupant.

(Ignis.) Ignis in generatis praestat iuuamentum ut maturet et subtiliet

subtiliet: et permisceat, et ut sua penetratione currat per ea substantia aerea.

Aer. Aer in generatione iuvat ut rarificentur et albescentur et subtilientur, et ad superiora elevantur.

Aerem seu spiritum dicere nihil differt.

Aqua. Aqua generationi iuvamentum praestat ad figurandas formas, humidum enim licet cito formas figulares amittat, faciliter tamen eas recipit.

Spiritus. Currit enim Spiritum, latorem virtutum Animae in membra Animalium ~~tant~~ tendentium mediante ipso.

Spiritus quidem est res generata ex commixtione elementorum, vergens in similitudinem corporum coelestium.

Et propterea indicatur de spiritu quod sit substantia luminosa, propter quod dicitur de visivo spiritu quod sit radius atque lux.

Manifestum est quod aer qui in nobis genitus, spiritus vocatur; a facultate animali per nervos et musculos percussus, vox fit.

Medicina. Quod vincit et superat corpus, est medicina: quod vero nutrit et auget est cibus.

oleum. Quod oleum calida res sit, indicat id non minimum quod facile in flammam transmutitur, tanquam ad flammae naturam proxime accedat: nihil enim frigidum prompte comburit.

In tractatu de regulis medicinae. in 8°. Brixiae. 1566.

Ex Guillelmo Biscardio Belocardensi.

Febris. Febris ~~non~~ nomen a fervore deductum est quod fervor quidam sit totius corporis naturales terminos excedens, qua ratione etiam Graecis πυρετός dicta est ἀπὸ τοῦ πυρός quod igneus quidam sit calor. Seu totius corporis caloris excessus et excandescentia.

calor et spiritus. Innata caliditas, innatus calor, calor, caliditas, ingenitus seu innatus Spiritus: sunt eadem apud authores Medicos.

Ex Guillelmo Gasraterio Belocardensi.

Calor. Sicut calor ex tenuiori humidiori ac puriori sanguinis substantia in nobis generatur, ita ab ea alitur.

Spiritus. Spiritus nomen a spirando deductum est, a spirando inquam aerem immixtum huic vapori, qui quidem inspiratus per nares in cerebrum, per asperam arteriam in pulmones et cor defertur ex quibus coeuntibus generatur spiritus naturalis. ob id Galenus ait calidum innatum cum ingenito spiritu idem esse, vel sanguineam substantiam simulque aeream idem esse cum spiritu et calido innato. Haec enim nomina saepenumero apud Galenum confunduntur caloris innati et spiritus. Nam quamuis spiritus nomen aerem significet vapori sanguinis purioris immixtum, tamen cum vaporosa illa sanguinis substantia aerea sit et caliditatem a sanguine habeat, merito calor innatus

aer inspiratus. vocatur; cui deinde aer inspiratus, in corde elaboratus committitur: et ita calor ille innatus spiritus fit, qui nomen ab inspiratione accepit, sed a vaporoso tamen illo sanguine calorem obtinet.

respirao Quibus animalibus nulla est respiratio, vt quibus pulmones non sunt, his tamen calor innatus inest, quo operationes perficiuntur, siue is fiat a sanguine, siue in exanguis ab alimento, quod sanguinis vicem supplet. Quin et in

Planta. Plantis proprius est calor innatus qui ab alimento efficitur et continuo vi ipsius generatur et nutritur.

Degenerat natiuus calor in alienum et praeter naturam, si naturalis temperamenti eius mixti cui proprius est limites excedat: Id autem contingit cum ob multas causas tum vero maxime ob prohibitam refrigerationem externi aeris a quo continua perflatione et euentatione calor temperatur: cuius rei hoc argumentum esse potest quod vt ait Galenus Quas diutius asseruari volumus ea in loco ventis

perflato

Ex Guillelmo Galcaserio Bellocardensi.

Ex Arch. Piccolhomino.

perflato collocamus, procul tamen a radiis solaribus aestate praesertim, ne si solis calore afficiantur, minus refrigerata putrescant. Prohibitae autem eventationis causa in nobis est viscerum obstructio et cutis densatio, seu constipatio. Ab his enim calor humorum accenditur ita ut qui prius naturalis erat et iis conservandis aptissimus, innati limites excedens putredinis ipsorum sit causa, putredo autem febris.

Obstructio

Obstructio fit vel a multitudine, vel crassitie, vel lentore humorum: Constipatio autem seu condensatio fit a frigore compingente, aut ab astringentibus aut arefacientibus.

Constipatio a frigore.

A frigida temperie crudi humores generantur: a calida cibi in nidorosam qualitatem corrumpuntur.

Crudi humores.

In tractatu de natura febrium in 8°. Parisiis M.D.LXXXI.

Ex Archangelo Piccolhomino Ferrariensi.

Intelligendum est qualitatum alias esse primas ut est calor frigus humiditas et siccitas: Alias esse secundas ut est levitas, gravitas, mollities, durities et caeterae generis eiusdem.

primae qualitates

secundae qualitates.

Ex calore sequitur raritas, ex hac levitas et mollities: ex mollitie asperitas et laevigatio. Ex frigore vero sequitur densitas, ex hac gravitas et durities, ex duritie laevigatio atque asperitas.

Qualitates primae inter se duobus modis possunt comparari: uno quatenus sunt contrariae, ut si conferatur calor cum frigore, et humor cum siccitate: atque hoc quidem modo comparatae, omnes ~~[illegible]~~ utroque sunt agentes et patientes: nam calor corrumpit frigus, contraque frigus calorem: eodemque modo humor corrumpit siccitatem, contraque siccitas

contraria.

humorem. Altero modo comparari possunt, quatenus non sunt contraria, ut si consideratur calor cũ siccitate, et frigus cum humiditate: atque hoc certè modo inter se comparata nec agunt nec patiuntur vicissim: Nam quemadmodum in quinto physicorum explicatũ est, Omnis actio et passio quam sequitur necessario alicuius qualitatis interitus,

alteratio. est alteratio: omnis autem alteratio est inter qualitates contrarias, quemadmodũ omnis motus est inter terminos contrarios; sed calor et humor, Item frigus et siccitas non sunt contrariæ qualitates, cum in eadem re esse possint sine conflictu, quandoquidem aer est calidus et humidus, terra frigida et sicca. verum etsi quatuor illæ qualitates vicissim sint agentes et patientes, attamen calor et frigus magis merentur ut agentes dicantur, humor vero et siccitas magis ut patientes.

Siccitas. Duæ sunt causæ siccitatis, una frigus quod condensat et exprimit humidum, unde introducitur siccitas quæ nihil aliud est quam humidi privatio: Altera est calor qui humorem consumit.

Aer. Cum hyemali tempore aerem frigidum esse conspiciamus, quia remoto sole tum et terra et aqua frigus suum inducunt in aera, certè concludi poterit aerem beneficio solis non natura calidum esse. Neque etiã aer est humidus natura sed propter exhalationes ab aquis elatas. Quapropter aer non videtur nec calidus nec humidus. Quid ergo erit? quemadmodum prima materia sine corpus valdè

prima materia. simplex: Quemadmodum enim prima materia nullam habet in se formam, habet tamen eam vim et facultatem ut omnes possit recipere formas. Ita aer nulla videtur prima aliqua qualitate præditus esse natura sua, sed non temerè dicerémus ei vim eam a Natura esse concessam ut quavis tali veluti informari possit: Eamq́ ob causã modo calidus, modo frigidus, alias humidus, alias siccus sentitur. Merito autem non videtur aer a

Natura

Ex Archangelo Piccolhomino, Ferrariensi.

Natura prouida.

Natura aliquam primam qualitatem accepisse: nam cum Natura prouida (eam hoc loco intelligentem, perspicuitatis causa faciamus) animantia quæ pedibus ingrediuntur, opus habere videret modo calore, modo frigore, modo humiditate, modo siccitate, aëra huiusmodi fabricauit qui harū omnium qualitatum particeps esse posset. Atque ipsam et Natura multis causis concurrentibus, singulis anni tempestatibus, aëra ipsum qualitatibus illis variare et alterare videtur, ut (quantū necesse est) animantibus aëre utentibus aliisque rebus prospiciat.

Ventus Subsolanus ab Ortu.

Zephirus ab Occasu.

Auster a Meridie.

Septentrio à Septentrione.

Porro Aëris quatuor esse Mundi partes Ortum, Occasū, Meridiem et Septentrionem: a quarum vnaquaque flat proprius ventus: Ab Ortu flat Subsolanus ventus quem Subsolanum dictū volunt quia sub radijs solis oriatur: hic utrinque unum habet: a dextra quidem Vulturnum, à sinistra Eurum. Ab Occasu flat Zephirus ex diametro Subsolano oppositus: hunc Græci Zephirum dictū arbitrantur quasi ut loquuntur viuificantem, propterea quod ea quæ terra ex se fundit, illius flatu reuiuiscere videantur; nã ζωη Græcè vitam significat; Latini quidā appellarunt Fauonium eo quod faueat vel foueat ea quæ nascuntur e terra: hic utrinque unum habet, ad dextrā quidē Africū ad sinistram Circium. A Meridie seu a polo antarctico flat Auster: Austrum autem dictum putant quasi haurientem aquas, pluuias enim inuehit. Alij Græcè ob id νότον id est Nothum dictum existimant quia pestem gignit ex prauo eius calore humoreque vim putrefaciendi habente. hic unum utrinque habet, a dextra quidem Euroaustrum, a sinistra Austroafricum. A Septentrione denique seu a polo arctico flat Septentrio, sic nominatus quia flat ab ursa majore quæ Græcè dicitur ἄρκτος, latine Septentrio propter septem stellas quæ torquentur in orbem

Ex Archangelo Piccolhomino, Ferrariensi

circa Polum: hic etiã unum utrinque habet ventum
ad dexteram quidem Aquilonem quem alio noĩe Boream
appellant, ad sinistram Chorum.

Sanguis est dulcis

Si de saporibus agatur, ~~Sanguinem~~ sanguinem esse dulcem
testatur Arist. in 3 de animalium historia: sanguis
inquit, integer rubet ac dulcis saporis est: Et Galen.
in libro de atra bile, sanguis inquit majore ex parte
dulcis apparet: Ex quibus perspicuum est cum dicitur
sanguinem esse dulcem, naturalem et integrũ ~~et~~ atque
verum esse intelligendum, non eum qui vel putrefactione
vel exuperante aut deficiente coctione vel admixtione cum
alijs humoribus, de naturali habitu est dejectus. Sed
causam cur sanguis fiat dulcis investigemus, prius
explicantes quid sit sapor et quomodo in rebus dulcibus
dulcis sapor gignatur. Sapor, ut definitur ~~ab Arist~~ à Galeno

Saporis definitio

in libro de sensu, est abstersio quaedam seu percolatio partis
terrestris siccae per humidum aqueum facta a calore, quae
potest afficere gustatum, eumque de potestate in actum
operationemque propriam ducere. Advertas tamen Aristotelem
nolle ipsum saporem esse percolationem sed qualitatem
quandam, natam ex ea percolatione, scilicet cũ humidũ
aqueum non aereum percolatur per partem terrestrem
siccam, vel haec per illud. unde alij definiunt saporem
hoc modo, sapor est qualitas producta ex humido aqueo
admixto cum sicco terrestri, calore digerente et conco=
quente humidũ cũ sicco terrestri admixtum, quae afficit

Sapor dulcis

sensum gustatus. Sapor autem dulcis generatur
si calor perfecte et moderate digerit ac concoquit hu=
midum aqueum sicco terrestri admixtum, non autem
ipsũ consumit, ut in uva bene maturata cernitur,

in

in qua calor venae bene et moderate digerit ac concoquit illud humidum aqueum sicco terrestri admixtu, non autem ipsu consumit: ostendit etiā tradit ciq; corpori dulcedinem provenire a moderato calore: quib⁹ hoc modo constitutis intelligi facile poteris, cur sanguis scilicet integer et naturalis sit dulcis, nimirū quia fit

moderat⁹ calor. a moderato calore hepatis atque venarum: si enim calor ventriculi, venarū meseraicarum, et hepatis fuerit moderatus et capiantur cibi boni praediti succis dulcis semper generabitur sanguis: At si calor moderato fuerit multo vel superior vel inferior, qui inde oritur sanguis, alium quam dulcem saporem habebit.

Bilis flava, amara. Flavae bilis saporem amarum esse certum est: quod facile intelligetur si prius quomodo sapor amarus gignatur aperiamus:

sapor amarus. gignitur autem si calor adeo coquit humidū aqueū sicco terrestri admixtū ut illud plane consumat et exsiccet: ut videre licet in pane adusto, in quo actione caloris clibani exsiccatur humidū, atque siccū terrestre dominatur. Animadvertendū tamen hoc loco est diligenter, illam amari saporis siccitatem interdū esse a frigido; sed plerunque a calido: quo fit ut pleraque amara sint calida: nonnulla vero contra

Opium sint valde frigida, ut Opium quod amarū est, adeo tamen est frigidum ut membrorū resolutionem faciat et nimio frigore interficiat. Verum si quaeras quodnam amarum fiat a calido, et quodnam a frigido, mihi hac in parte Averrois sententia valde probatur: inquit enim eam amaritudinem fieri

3

Archangelo
Ex Piccolhomino, Ferariensi

amaritudo a frigido. a frigido qua est rudimentum quoddā aliorum saporum, quod cernimus in plantarum fructibus qui principio sunt amari siccique plurimum ac frigidi, ut potè qui sunt imperfectissimi: postea humore et sicco advenientibus fiunt acerbi, deinde austeri, postea acidi, tum dulces: horū itaq; amaritudo ut perspicuum est, a frigido existit. Si vero

amaritudo a calido. amaritudo sit alicuius naturae perfectio, non rudimentū, ut in Absynthio, in Aloe, et similibus, profecto ut in plerisque omnibus, amaritudo illa est a calido: ita huiusmodi omnia fere sunt calida, nisi habeant partes alias frigidiores insipidas, ex quarū vi contingat rem totam esse amaram, et frigidam. Cum

sapor salsus. res ita sese habeat, certe amarus sapor et etiā salsus eo quod sunt valde sicci plurimumque terrae habent ineptissimi omnium sunt ad nutriendū, quum minime omnium separari et immutari possint; id circo reiiciuntur a calore naturali et subsident in excrementis ne et alimento immisceantur quippe quos Natura as-

flaua bilis amara. pernatur et reiiciat. Flaua bilis est amara propterea quod illius humoris calor adeo coxit humidū aqueū sicco terrestri admixtum ut illud planè consumpserit et desiccaverit: est autem amara nō a frigore sed a calore, quia amaritudo flavae bilis non est ut rudimentum saporum, sed tanquam postrema concoctio eorundem: est vero calida quoniā amaritudo illius est a calore non a frigore, nam cū humidū aqueum sit absumptum, remanseritque sola pars terrestris, haec veluti adusta vim caloris retinet, ut faex vini

adusta

adusta solet: est denique ad alendum ineptissima propterea quod est valde sicca plurimumque terrae habet, ita ut non possit separari et immutari.

Bilis nigra. Bilis nigra, acida. Bilis nigrae saporem, acidum facit Galenus: per bilem nigram humorem nigrum ac naturalem intelligens. In quinto autem de partium usu, non solum acidam sed et acerbam eam facit, Quod autem inquit non laedit quicquam videtur melancholica superfluitas, saporis qualitas ostendit: Acerba enim cum sit et acida atra bilis, congregare et constringendum, non sicut flava bilis, subducendo, nata est.

Causa autem cur humor niger sit acidus nobis ignota si quomodo sapor acidus gignatur, explicetur:

Sapor acidus. Sapor itaque acidus fit a calore diminuto, id est qui non plane concoxit et miscuit humidum aqueum cum terrestri sicco: vel qui propterea diminutus est, quod ex mixto illo corpore acido exhalavit pars calida purior seu mitior, ut inquam. Hoc saporis genus propinquum est dulci sapori, et ei praecipue dulci qui vinosus est, quem intuemur in vinis et moris caeterisque vinosis fructibus qui cum fiunt maturi, postquam desierunt esse acerbi, neque adhuc sunt dulces, acidi saporis fiunt ob imperfectionem

calor acetus. caloris aceti, qui cum exhalet evadunt acidi. Sic ex vino fit acetum, cum calor acetus exhalat a vino. Acidus ergo sapor frigidus est quamvis contineat aliquas partes calidas adustiores et terrestriores, ac propterea earum vi abstergat, mordicet, consumat, exsiccet. Acerbus autem

Sapor acerbus. sapor fit cum calor nihil concoxit humidum aqueum sicco terrestri admixtum: ideo circo hic est omnium frigidissimus. His positis iam causa intelligere licet cur humor niger sit acidus, nimirum quia calor non plane coxit et miscuit humidum aqueum cum sicco terrestri, quae duo sunt in

Ex Archangelo Piccolhomino Ferrariensi.

humorem eum qui niger appellatur. Cum Galenus bilis nigrae saporem appellat acerbum et acidum, non est intelligendum eundem humorem nigrum habere duos sapores nisi ratione partium diversarum: hoc enim fieri non potest: Nam in sapore acerbo calor nihil concoxit humidum aqueum, in acido vero concoxit magna ex parte; sed intelligendum est humorem nigrum interdum esse acerbum, ut si in eo nihil calor coxerit humidum; interdum acidum, si coxerit quidem, sed non plane. Causa similiter intelligi potest cur humor niger sit frigidus, si tamen sit acerbus est frigidissimus, si acidus, minus frigidus. Quod quo melius possit intelligere hoc ordine ponendi sunt

Sapores varii.

sapores; Acerbus, austerus, acidus: Pinguis, dulcis: Salsus, amarus, acris: Acerbus enim Galeni sententia omnium est frigidissimus, Acris vero calidissimus. Tres priores sunt frigidi; Duo medii temperati; Tres posteriores calidi. Acerbus ut dixi est omnium frigidissimus Austerus est magis frigidus quam acidus et minus quam acerbus. Pinguis et dulcis sunt temperati sed dulcis magis quam pinguis. Salsus est calidus sed minus quam amarus, hic autem minus quam acris sed magis quam salsus: Acris vero ut dictum est, omnium est calidissimus.

Color ex humoribus.

Si in aliquo temperamento sanguis reliquis dominetur humoribus, rationi consentaneum est ut ille veluti informatus sit sanguinis colore: roseo ergo colore veluti tinctus erit. Item si aliquod temperamentum sit pituitosum, illud album: si biliosum, flavum: si melancholicum, obscurum erit.

Ex commentarij in Galenum de humoribus in 8° Parisijs 1556.

Ex Cæsare Cremonino, Centensi.

Duæ sunt qualitates activæ quæ habent vim efficti=
vam: duæ passivæ: Activæ sunt calidum et frigidū,
passivæ humidum et siccum.

Concoctio. Concoctio nihil aliud est quam dominium caloris naturalis
supra materiam quæ est concoquenda.

Medicamenta. Quando accipiuntur medicamenta, naturalis calor debet
agere ad ipsa concoquenda, quia debet acquirere dominium
supra illa, ut possit illis uti prout sunt idonea ad nutri=
tionem si possunt nutrire; ad expulsionem si non sunt
nutritiua, et tunc debent expelli; natura enim valida
undique excitatur, et simul cum expulsione medicamenti
Humores expellendi. quod iam factū est excrementum, expellit illos humores
qui habebant proportionem cū medicamento et sunt
præparati ad expulsionem.

Vniuersalis efficiens. Sol et homo generant hominem, quatenus coelum ut
vniuersale efficiens subordinat sibi particularia efficientia
ad generandum in proprijs speciebus.

Arist. docet quod fit caliditas a Sole et a coelo per motum.
Motus. Quod non aliter fit quam excitando calorem elementarem,
prout motus disgregat materiam per motum, prout etiā
lumen facit ad rarefactionem cum sit actus perspicui,
quæ perspicuitas attinet ad raritatem ad quā postea rare=
factionem sequitur excitatio calidi in existentia.

Masculus. Masculus est is qui generat in alio: foemina vero est
illa quæ generat in seipsa.

Mas et foemina non reperiuntur in plantis in ordine
ad generationem sed hæc nomina propter quasdam differen=
tias sunt in illis per translationem usurpata.

Agros pingues ex faba. Dicunt fabam reddere pingues agros pro tritico seminando:
et forte verū est experimentum quoniam faba attrahit multū
alimenti humidi aquei cum multa portione terrena; unde
quod relinquitur in agro, minus est aqueum et terrestre,
quale est alimentum quod triticum requirit, ideoque videtur

2

Ex Caesare Cremonino Centensi.

etiam redditur pinguior aer.
Si prope Rosaria seramus allium et caepas, Rosae illae fiunt suaviores et iucundioris odoris, eadem ratione allata; nam allium attrahit alimentum acre, terrenum, aqueum; unde pro Rosis remanet magis purum, aereum, et tenue, cuius beneficio Rosae evadunt postea magis odorae. Sic etiam in eadem specie, una planta confert alteri, si non ratione nutrimenti, saltem attractione alicuius alterius, quemadmodum Caprificus prope ficum facit ut fructus fici sint longe meliores et facilius maturentur, quod evenit quoniam e Caprifico prodeunt Culices qui ut nutriantur petunt fructus fici ipsosque corrodentes aperiunt calori et aeri aditum, et hoc modo iuvant ad maturationem et perfectionem: Imo aliquae etiam plantae eiusdem speciei adiuvant alias ad fructus maturandos ex contactu ramorum aut simili aliqua ratione, quia nimirum fovent calorem quo vegetativa se habent ad fructus maturandos: Sic etiam nos fovemus calorem stomachi ad concoquendum quibusdam appositis exterioribus. Similiter igitur fieri existimandum est de Palma quam dicunt masculum, cum illa quam dicunt foeminam: Masculus autem ille est qui facit flores, foemina vero quae non flores sed statim fructum edit, unde ob istas diversitates atque adiumenta, factum est ut translatum fuerit in plantas vocabulum maris et foeminae.
Sicut parum pinguedinis fovet calorem sanguinis, ita et multum opprimit adeo ut ad mortem nimia pinguedo seu obesitas deducat.

In tractatu de calido innato et semine in 12°.
Lugduni Batavorum CIↃ IↃ CXXXIV.

Rosae suaves

attractio

maturatio.

contactus.

Palma.

pinguedo.

Notanda de Gaspare Amthor

in suo Chrysioscopio seu Aurilogio.

in 4° impresso Jenæ 1633.

De Auro alioqui dicitur, quod contra diem circa diliculum frigescat: quod experiri possunt ii qui aureos gestant in digitis Annulos: sic enim deprehendere quêunt quasi per horologium quando dilucculascat aut diescat.

Mercurius est quasi clavis omnium Metallorum; hic tanquã spiritus metallicus fumo pertransit omnia Metalla et illa calcinat, et ab illorum fumo rursus coagulatur, sic a corpore solis corporalitatem, et corpus sol ab illo spiritualitatem mutuatur; fac ergo fixum volatile, et volatile fixum et habebis totum magisterium.

Qui per solis et Mercurij amalgama laudabili fine potiri satagunt coniunctionem solis et Mercurij indagant et suscipiant ex Paracelsi doctrina necesse habent.

Aurum si in terra ubi dominatur sol, orientem versus spectante; sepeliatur: et semper recente urina hominis et stercore Columbino foecundetur, augmentatur.

Aurifabri norunt quod si Aurum purissimum Coelo austrino quo radiantis solis lumina nubibus intercipiuntur fundunt quod durum inductile et friabile evadat: verus vero si sudo tempore, quo Coeli Mundique oculus.

Notanda ex Jo. Pharamundo Rhumelio.

Separabis Terram ab Igne, Spiritum a corpore; tincturā seu quintam essentiam a fecibus, vitam a morte, cœlestem a terrestri, bonum a malo, et purum ab impuro, suaviter cū magno ingenio per universale Menstruum et acetum philosophorum: Sic omnia Medicamentorum species per universale Menstruum sive aquam convenientem deducuntur in quintam essentiam ut possint gravissimos profligare Morbos confortando balsamum Microcosmi et ipsum in vigore confortando per analogiam, et expellendo Morbum per antipathiam. hinc liquet quid statuendum sit de duobus istis Axiomatibus, Contraria contrariis curantur; item Similia similibus: patet enim unum esse et idem. Nimirum Contraria pellunt contraria, ut Quinta essentia expellit impuras tincturas sibi adversas. Et Similia iuvant foventque similia, ut Balsamus sive Tinctura medicamentorum confortat Balsamū Microcosmi sibi cognatum.

Universalissimum Remedium ex universalissima non autem ex particulari corpore debet peti.

Est autem universalissima illa Materia, Aqua illa de qua Genesis cap. 1. v. 2 extat et 20, et Terra de qua v. 17 et 24.

Aqua enim est ipsissima Materia ex qua omnia Mineralia nascuntur e sulphure Aquae insito, seu ex Aqua in Terra de qua universalissima illa philosophorum veterum Medicina suam trahit ~~tur~~ originem: In Aqua enim est semen verū omnium Mineralium et Metallorum, quando scilicet Aqua ista convenienti calore coquitur tunc recipit corpus et fit Metallum vel lapis vel sal vel aliquid aliud: oportet autē ut in Aqua consideres geminam substantiam, quae utraque in generatione cuiusque rei occurrit; una est Terra impura (quae est sulphuris innati ex per totum Aquae corpus insensibiliter perfusi) impedimentū et ~~in~~ integumentum quo ipsius

sulphuris

Ex Jo. Pharamundo Rhumelio.

Sulphuris actio in Aquam obtunditur et reprimitur:
Alterum est ipsum Sulphur quod est medium aptissimū
quo pura Aqua coagulari et in proportionatam converti
potest naturam. Porro illud innatum Aquae Sulphur
adeo est praestantiae naturae ut veteres Phi scribant Thesaurū
esse inestimabilem paucisque cognitum.
Ex his igitur liquet quo sensu Phi scribunt omnia Mineralia
originem sumere ex Mercurio et Sulphure, cum tamen non
intelligant ~~Sulphur vulgare~~ Argentum vivum vulgare sed
Aquam praedictam mercurialem: etiam non intelligunt Sul=
phur illud commune sed corpus quoddam spirituale in quo
est Ignis Naturae, qui agit in istam Aquam mercurialem
quam coagulat exsiccat et figit.
Aqua enim ~~ista~~ illa est veluti uxor, et Sulphur tanquam
maritus quo Aqua congelatur suo proprio Sulphure in=
trinseco, coctione diuturna.
Aqua enim est prima Materia Metallorum, nam semen
Metallorum est in Aqua: Aqua autē habet duas Sub=
stantias, internam et externam: Interna est Sulphur
calidum et siccum sensui non apparens et dicitur Pater;
Externa est corpus Aquae visibile humidū et frigidum, et
dicitur Mercurius et Mater. — Caliditas atq[ue] siccitas
quae sunt intus manifestantur omnium viventium nutri=
mentum et fomentum, inde omnium Morborū Medicina
in lucem sistit.
Est enim ille internus calor nihil aliud quam Coeli et ipsius
naturae et Calor Solis vivificus quo omnia in hoc Mundo
sublunari vivunt vivificantur generantur regenerantur et
renovantur.
Itaque Metallorum remota Materia est Aqua vulgaris: haec per
calorem in Terrae sinubus in vaporem cogitur et purgatur,
Aqua satis purgata tandem innato suo Sulphure in coagulū
convertitur: quod si Terram pinguem impuram apprehendit
inde imperfecta Metalla, sin vero pinguem puram offendit
Aurum

3

Ex Jo. Pharamundo Rhumelio.

Aurum producitur. —

Mercurius philosophorum non est Mercurius vulgi, sed simplex et a Natura productus: Aqua videlicet, non communis sed Saturni nostri: in quo Mercurio est quicquid quaerunt sapientes. Sulphur enim illius Mercurii seu Aquae est universi Anima et Ignis vivificus a quo haec omnia sublunaria vitam vigorem et virtutem sibi habent.
Inde patet ex corpore Auri communis nullo modo posse prolicere illam medicinam universalissimam.
Hoc igitur ut sulphur prolicias sulphure, quod fit per Aquam mercurialem genuino suo sulphure calefactam, in quam corpus Auri projectum non aliter ibi liquescit ac glacies in Aqua vulgari calida.
Nam in Aqua, praestantissima sunt Medicamenta quae vires omnium superiorum et inferiorum ~~[struck]~~ eminenter in se continent ita ut nullus dubitare debeat universalissimam Medicinam ex Aqua confici posse: unde Sendivogius dicit Qui scit congelare Aquam calido et spiritum cum ea ~~congelare~~ conjungere inveniet rem millies pretiosiorem Auro.

De universali Medicina sciendum est, in omnibus corporibus esse Medicinam illam universalem seu Aurum illud medicum: sed in quibusdam copiosius invenitur et proinde facilius inde elicitur: hujusmodi autem subjecta, tria statuimus; Aurum vinum et hominem.
universalissima autem antiquorum Phorum Medicina dicitur Lapis Philosophorum, qui non solum ~~[struck]~~ omnes Morbos hominis tollit sed etiam omnia Metalla imperfecta purgat ab omnibus faecibus et in purissimum Aurum convertit. fit autem praedictus Lapis Phorum solum ex universalissima Materia, ex qua primo omnia facta sunt, cujus subjectum supra indicavi. universalis autem Medicina conficitur ex supra nunc dictis, inter quae Aurum Magnesiae nostrae principem obtinet locum: Ex illo enim producitur Panacea aurea et verum Elixir vitae.

Quod omnia

Quod oīa et summa perfectio in Auro communi non reperiatur, testatur experientia. Nam corpora coelestia sunt Auro longe perfectiora, et Aurum potest destrui ab Aqua philosophica coelesti; quae coelestia virtus praecipue in Saturno nostro reperitur qui universalem Medicinam vere repraesentat. Non autem dico universalissimam, sed quia universalis medicina dicitur duobus modis: Primo enim est Medicina simpliciter universalis, de qua iam dictum: Deinde est medicina universalis secundum quid, quae sic dicitur ob praestantiam, quod Remedia alia specifica desumpta ex reliquis mineralibus vel vegetabilibus et Animalibus virtute et efficaciâ suâ multis parasangis vincat atque in se eminenter universorū Imperfectorū corporum universas in medendo vires contineat, praesertim quando beneficio spiritus universi sive universalis menstrui (qui omnia sublunaria corpora solvit et vegetat) praeparantur et vivifica ipsius vires exaltantur et augentur: ut in Leone nrō viridi videndum, ex quo fit Medicina fere universalis quae ob praestantiam suam a nonnullis etiam appellatur universalis non quod sit universale illud medicamentum ex Saturno nrō sed quo universali illi sit proximum; et alias dicitur Mineralis cuius praeparatio talis est. R. Leonis viridis quantumvis, pone in phialam clausam, digere et coque in igne nrō vaporoso donec fiat ex terra nrā aqua, et ex aqua spiritus, ex spiritu autem sanguis rubeus et denique pulvis coagulatus fixus: Nunc vere tibi Lapis mineralis perfectus et Medicina summa ad curandum Lepram et Podagram.

De Auro potabili quae scribunt Philosophi non intelligenda sunt de Auro communi et perfecto: Sed de Auro Phorum quod est vivum ex quo fit Medicina universalis et verum Elixir vitae, id est Antiquorum illud Aurum potabile Phorum si inquam resolvatur Aurum vivum per Menstruum universale absque corrosivo et sine strepitu: haec enim est clavis illa

Ex Pharamundo Rhumelio.

illa quæ reddat hanc artem Solis vivi.
Est autem illud Aurum vivum Magnetis nostri et dicitur Electrum minerale immaturum, et est radix et primum Ens Solis, de quo Rasis dicit, In Plumbo Solem et Lunam contineri.
Universale autem Menstruum est Aqua nostra pontica: in quo Aurum nostrum putrescit et crescit: quæ Aqua toties rectificari debet ut Solem calcinare et resolvere possit.
Non autem nego Aurum perfectum et vulgare etiam potabile posse reddi, si inquam beneficio Universalis Menstrui (qui omnia sublunaria corpora solvit et vegetat) præparatur et adeo fiat volatile ut in nullum corpus amplius possit reduci, et inde dicitur spiritus fragrantissimus, de quo Turba proponit Qui scit Aurum destruere ut non amplius sit Aurum ille ad maximum pervenit Magisterium.
Magna enim Medendi vis Auro inest propter exquisitam eius temperiem et benignam caloris et humoris pinguis moderationem: sed vires eius longe distant ab Auro nostro vivo quod reperitur in Chalybe nostro.
Aurum potabile itaque multo præstantius ex Astro Solis dici potest: quia Astro Solis Aurum vivum inest, de quo Clangor dicit In Plumbo vivus est mortuus, et hæc sunt severè tenenda.
Nam quemadmodum Sol in Coelis est epitome omnium virium coelestium et balsamus incorruptibilis qui quotidie singulis momentis ~~per~~ per radios communicatur rebus sublunaribus: Ita etiam in Magnete Solis reperitur balsamus Solis inæstimabilis quod est subiectum omnis mirabilitatis et dicitur Terra nostra, Magnesia nostra, et Aquila nostra quæ est vena Magnetis Solis, et peculiaris Lapis qui non recte nisi in propria Aqua solvi potest: Quicquid enim expellit e corporibus Macrocosmi natura alienam

impuram

impuram, utpote et malum: idem quoque e Microcosmi corpore tincturam impuram protrudit; quod solum facit Basiliscus noster. Accipe igitur Draconis viri sive Magnetis prædicti partem unam, Spiritus universi septies rectificati partes decem: et ipso mediante Aurum transplanta et digere per ventrem equinum in spiritualem suam naturam: Ita enim potest converti in substantiam veri balsami seu humidi radicalis, quod est in homine.

Omnia nihil et nihil omnia. universale Menstruum est ex nihilo, in quo tamen et ex quo sunt omnia. Est autem universale Menstruum Aqua ista de qua Genesis cap. i. extat. Aqua enim est generationis præcipua promotrix: Animalium vegetabilium et Mineralium nutrimentum: Aqua est Spiritus et Corpus: Corpus ipsius est primum frigidum et humidum in manifesto: et Spiritus eius est vita et Astrum calidum et siccum in occulto, in quo tanquam in abysso latent omnia vegetabilia Animalia et Mineralia ut Lapides gemmæ salia et uno verbo omnes Aquæ fructus qui e Terra effodiuntur. Reperitur autem hæc Aqua in Terra: Nam Terra est receptaculum nutrix et matrix omnium virium superiorum et inferiorum in quo domicilium firmat Anima Gemetia et Spiritus universi centraliter: Terra in se continet omnium rerum semina et ideo dicitur Mineralia Animalia et vegetabilia. Ex Terra igitur universalissima Medicina confici potest, quia Terra est universale receptaculum nutrix et matrix omnium virium tam superiorum quam inferiorum, in qua habitat Spiritus vivus, Mercurius Philosophorum, et Aqua vitæ Philosophorum: de qua Sendivogius tract. 4to dicit,

fode foveam

Ex Jo. Pharamundo Rhumelio :

Fode foveam usque ad genua, et accipe Terram nostram in qua est rivulus et unda viva &c. scilicet universale Menstruum et Aqua nra pontica in qua habitat Sal armoniacum nostrum et Spiritus vivus universali, de qua antea diximus omnia in se continere.

Nam in hoc Elemento Aquae non tantum sunt caetera Elementa sed etiam per illud corpora inferiora resolvuntur produ=cuntur conservantur augentur et incrementu virtutum suarum accipiunt. Hinc in ista Aqua scilicet Saturni nri sunt Medicamenta quae virtute omnium superiorum et in=feriorum eminenter in se continent. Ita ut nullus dubitare debeat omnia corpora sublunaria cum Aqua illa univer=salissima resolvi et ad primam Materiam reduci posse, quia illa omnia primò Aqua fuere, nam quo quid ligatur eo etiam solvitur; scilicet Aquâ Maris nostri, quae est Aqua coelestis et Aqua vitae non madefaciens manus. Nulla alia Aqua enim neque fontis neque fortis neque ex variis rebus elicita ad hoc Opus utilis est, sed omnes sunt venenosae, nisi hauriatur e radiis Solis vel Lunae vi Magnetis aut Chalybis nostri: Sed modus quo Aqua ista hauriri, et Sal armoniacum nostrum inde elici possit, paucis est cognitum: et hic iubet Plato quiescere.

in Compendio Hermetico

De Oleis Mineralium

Vulgus hoc olei nomine in Mineralibus maximè abutitur: etenim Spiritus aliquos Salium oleum nuncupat, ut de vitriolo et Sulphure liquido constat. Vocat etiam oleum Mineralium et Metallorū salem in liquorem per humidum resolutum, uti appa-ret de Oleo Saturni et aliorum Metallorum: In Tartari oleo item notum est quàm facilè eo abutantur nomine, qui cum Sal resolutus sit, olei tamen sibi vindicat appellationem. Spagyrici veri qui Sulphureae substantiae naturam probè norunt, oleum id tantum appellitant quod est naturâ inflammabile ignemque suscipit atque non miscetur aquae: Sicque ex Mineralibus et Metallis olea vera eliciunda forent: verùm cum eiusmodi praeparationem ad Tractatulum de Mineralibus servaverimus, ab his hoc loco abstinebimus.

De Sale-Nitro

Salnitrum vulgò Sal petrae dictus, non semper aequales obtinet virtutes, ob varietatem locorum in quibus nascitur: Qui spontè e terra erumpit atque citra Artificis opem habetur, de ~~sal~~ natura Salis armoniaci participat: Is copiosè colligi potest in pluribus locis Agri Bononiensis, ubi

nunc commoramur, et maximè in montibus ad Meridiem expositis. Sic in communi, vulgò Monte Paderna, dum per otia illic diversaremur haud exiguam quantitatem reperimus, quo loco Marcasita alba et citrina cum lapidibus quibusdam adhuc incognitis virtutibus tamen praestantissimis, copiosè reperitur: Qui artificiosè è terra educitur, atque ex Muris et antiquis ruderibus colligitur, nihil quicquam de Salis armoniaci natura participat.

Figitur Sal Nitrum per validum ignem, fixum Soluitur, Solutum iterum figitur, quod ter et quater reiteratur: Ex dicto fixo, chrystalli dulces eliciuntur: prout de Sale.

De Sale Armoniaco.

Sal Armoniacus, Ammoniacus, et Armeniacus sic dictus vel ab Armenia ex qua ipse asportari creditur, vel a graeco ἄμμος id est Arena. Qui in officinis habetur, omnino factitius et artificialis apparet, nec mirum eiusmodi enim Salem esse eiusmodi enim Salem esse vbique reperiri arbitror. Hic Bononiae puteales aquae eiusdemodi Salis haud exigua quantitate abundant, quod nuperrimè norunt noui quidam Chrysopoei qui dictas aquas pluries Alembico comprobarunt:

verum quidem

Ex Nitro Poterio

verum quidem eiusmodi Sal purus et simplex
minimè est sed cum magna portione salis marini
mixtus. Eiusmodi Sal, radix est saporis acidi,
quo fit ut densissima et tenacissima corpora dis-
solvat: volatilis est admodum et fugax mercu-
riali natura praeditus: Abundat enim sulphure,
propterea in propria aqua ipse solutus in varias
formas salium mineralium exurgit cum etiam
non pauca varietate vegetabilium, hinc conijcere
licet dictum salem duplici illa natura esse praeditum:
Qui haud admirabilem et stuporis plenam eius
naturam intueri vult, ipsum dissolvat in convenienti
liquore, et coctione humiditas ad iustam quantitatem
absumatur, tum vas calidum in loco frigido collo-
cetur, inibi plures vegetabilium species inspecturus
erit. hac praeparatione Sal armoniacus ad per-
fectam puritatem adducitur: Sic depuratus effi-
cacior et natura magis penetrabilis per subli-
mationem redditur, quam peragendo protio quadā
spirituum elicitur. Sublimatur per se et cū alijs,
nec eius sublimatoria ratio ab alijs diversa est:
Cito sublimatur ob eius naturā volatilem per
vasa terrea et vitrea. Dulcoacidus redditur
putrefactione et coctione praemissis solutionibus
filtrationibus et coagulationibus. Propter eius
naturam nimis fugacem eius fixatio summopere

Ex Petro Poterio.

desideratur: propterea dum ter calcinatur cum aequali portione Calcis vivae, quod fit in crucibulo per fortissimum ignem singulis vicibus dum dissolvendo filtrando et ~~ea~~ coagulando: ad unamquamque calcinationem recentem calcem addere oportet, et hoc toties quoad Sal armoniacus figatur, et liquabilis reddatur ad instar metalli, figitur et cum aliis corporibus, prout uniuscuiusque sententia est.

De vitriolo

Cum Author locutus est de oleo rubro acide vitrioli, sic dicit
In tartareis viridisque humoribus tuto exhibetur aliud olei genus vitrioli: proprie est oleum aquae innatans, quod vere Sulphur vitrioli dicendum est: At vis eius non est narcotica verum potius anodyna: Balsamum in nostris Curationibus appellatur, eo quod balsamum nostrum sive radicale humidum instaurat: Dicitur et Arcanum, quod paucissimis innotescat. Eius parandi modus fit medio aquae coelestis, postquam vitriolum omnem vim narcoticam omnemque austeritatem et aciditatem deposuerit: Id enim sic paratum, in dicto solvente, fructus maturos et subdulces producit, qui lento igne impulsu liquorem suavissimum fundunt: vitriolum

ad hoc

ad hoc, maxima cum diligentia soluendum venit, cauendum etiam ne ignis violentia perdat sulphur.

~~Ex A~~ De Antimonio.

Fit oleum Antimonii ex solo Antimonio absque ullius rei interuentu, qui modus non omnibus innotescit. Ad hoc magna quantitas Antimonii requiritur, a quo deinde post putrefactionem aqua per varia instrumenta vitrea educitur, hac nouo reaffunditur stibio, a quo post reiteratam putrefactionem aqua iterum destillatur: his pluries repetitis operationibus oleum siue liquor oleaginosus exurgit praestantissimus, dissoluens egregium et nobilissimum.

Aqua seu potius [illegible] Antimonii

De Mercurio.

Mercurii diaphoretici praeparatio. Recipe Mercurii cum stanno coagulati quantum sufficit, redigatur in tenuissimum puluerem, qui in aurea scutella in aceto vini constituta, ac vino sublimato repleta aliquandiu assiduatur: tandem vinum ~~alcho~~ alcoholizatū accendatur, idque aliquoties reiteretur et videbis vinum Mercurium ac stannum in quandam oleitatem resolui. Usus huius olei est granū unum in vino optimo, atque aqua stragulis optime tectus, ad

Ex Petro Poterio

sudorem se componat, sudoris autē normam ac modum experientia abunde docebit.

In sua Pharmacopoea Spagyrica.

1

Ex Angelo Sala

Author vult Aurum non posse digeri ab homine, quia quocunque modo præparetur semper reducibile sit ut prius erat in Aurum. quod etiam de Argento sentiendum.

De Auro

Sumatur Aurum, calcinetur, reverberetur, dissoluatur, sublimetur, et ponatur in putrefactione cum aqua Regia, Spiritu salis, Spiritu vrinæ; aliaque media innumera adhibeantur per quæ Aurum in liquorem reduci potest, et in formam mellis solubilem in omnem liquorem; nihilominus si additionem separes, et si aurum per Ignem in operatione extitisset, redibit in corpus sicut fuit primò. Adducam enim ad hoc exemplum notabile, quod secreto cuivis Chymico minimè est incognitum, nempe quod spatio temporis breuissimo Aurū dissolui possit in liquorem transparentissimum, coagulari in Chrystallū

in Chrystallum, dissolui iterum in Aquam
rubeum et tandem reduci in puluerem subtilissimū,
qui sublimatus et emollitus adeò est diaphoreticꝰ
vt ad pondus duorum vel trium granorū exhibitus
mirabiles per sudorem effectus pariat, atque a
varijs infirmitatibus corpora liberet: Qui si
apponatur igni, auolat instar Mercurij, adeo sub=
tilis est; Et tamen caementatus cū pauxillo
sulphuris ad spacium dimidiae horae reducitur in
corpus de quo si vel libram comederes, nullos
amplius produciet effectus, et si ignem ipsi fusionis
fortis in metallum redit sicut fuit primo.

De Argento

Sed quid etiam de Argento referam quod Auro
inferius est? Si namque si imbibenda praebeatur
quaedam Aqua lunaris quantam illud imbibere
valet, ac deinde in putrefactione ponatur, separatur,
rectificatur, coagulatur, nunc cum aqua vna, modo
cum alia, postremò redigitur in Chrystallum qui
ad pondus quinque granorum assumptus, magnoperè
per secessum purgat, et quidem citra laesionem et
detrimentum, summumque est in hydrope arcanum,

Ex Angelo Sala.

et adeo subtilia esse ut in omnem liquorem aquaticum resolvatur, posita vero in crucibulo super carbones ardentes funditur sicut cera et ipsum crucibulum olei instar penetrat, eodem uritur ut sal nitrum nihil residui post se relinquens: Interim qui negaret eum posse reduci in metallum fallitur maxime: Nam mixtus cū Tartaro calcinato, ana; et ad lentū ignem in crucibulo positus pariter in metallum vertitur sicut fuit antè.

De Auro potabili

Qui poterit mihi demonstrare quod sophi quotiescunque de Auro potabili loquuntur, hoc innuant fieri ex Auro vulgari? dicentibus illorū plurimis, et Aurum nostrū non esse Aurū vulgi: Etenim si rem volumus penitus indagare, inveniemus species Marchasitarum, Gemmarum, et Salium in se occultum habere verum primum Ens Auri et veram influentiam Solis, quae sunt velut Amygdala cortici suo inclusa, ubi tantummodo apertio desideratur et separatio, qua facta

visibili

visibili, tunc dici potest haberi verum Aurum potabile absque additione, et naturali usui ipsius Medicinæ et hominis beneficio accommodatum: sed non tantum in creatis prædictis, verum etiam in nonnullis herbis et Animalibus talis substã-tia reperitur ac vera proprietas solaris.

---

verum Tartari oleum eiusque rectificatio.

Si accipiens Tartarum crudum ipsum distillare exibit inde Aqua copiosa cum pinguedine quadã supernatante, nigra et fœtente: hæc pinguedo separata et in Alembico posita cum pauxillo salis, si distillatur per Arenam emittit oleum rectificatum, quod est oleum genuinum et instar auri flavum, quod si iterũ rectificatur, adhuc redditur transparentius.

Rectificatio Olei Olivarum.

℞. Olei Olivarum libram unam, Cinerum Uncias quatuor: distillatur id omne quod educi potest per Retortam: distillatum in usum

reponatur, hoc relinquit post se omnem vastitudinem et infusum hebet cum Aromatibus perfectam attractionem facit substantia eorum unctuosa.

In libro de erroribus pseudochimicoru.

De Mercurio Sublimato.

Argentum vivum per sublimationem vel alium modum spiritibus salium corrosivis coniunctum, corpori humano fit venenum: hoc autem e mixtione non e Mercurio solo provenit, ut imperiti quidam indicant. Si de ea re hæsitas sume sublimatum pulverisatum et proijce in aquam calidam huic infunde paululum salis Tartari resoluti, hic sal spiritum salis e Mercurio resoluto separatum enecat, ita ut Mercuriu in forma pulveris flavi in fundo vasis reperiatur, quò tuto pro vomitorio et cathartico uti possis: Et hinc obiter concludi potest sal Tartari non minus esse arcanum adversus sublimatum intro sumptum.

In tractatu septem Planetarum.

Tartari

Ex Angelo Sala.

Purificatio Tartari.

Tartari optimi candidissimi sumitur quantu͂ placet, reducitürque in subtilissimum cribro trajici-endum pulverem. Huic aqua calida bona affun-ditur quantitas, agitatur spatula lignea et donec in totum refrixerit (ne de aciditate quid perdat) in aere relinquitur frigido. Dehinc glutinosa m͂ãa quæ sub illa natat simul effunditur: lotio hæc quater vel pluries repetenda donec Tartaru͂ arenæ instar purum ac subtile appareat.

Alia purificatio Tartari

Tartaro crudo pulverisato, loco aquæ ~~[illegible]~~ simplicis (ut supra) affunditur lixivium forte ex ci-neribus clavellatis, vel alio viliori tartaro adusto, materia probe agitatur ac per integrum diem ita servatur, postea illud nigrum lixivium cu͂ impuri-tatibus decantatur, tartarumque frigidâ aliquoties eluitur.

Cremor Tartari

Qua lotione præmissa Tartarum in mundam projicitur dicotam, affunditur aqua ferventissima, agitaturque ut supra optime spatula lignea, sicq; pars Tartari in illa liquescit ac dissolvitur,

acidumque aqua acquiret saporem: hoc peracto ad manus sint duae tres vel plures, pro percolanda materiae quantitate, manicae hippocraticae; quae supra vasia figulinia optime vitreatia collocandae, per quas fermentatissima aciditate Tartari impraegnata aqua ex tempore ~~prae~~traijcienda ac rursus percolanda donec per manicam sive colatorium mucilagine Tartari obstructum pura ac Chrystalli instar pellucida perfluat, quae colatura ad finem usque ut nihil aquae supersit continuanda: Repleto etiam uno vase frigidoque adeo deposito, aliud in locum substituatur, et si aqua haec acidiuscula à tartaro per inclinationem sequestrata, tota semel traiecta, alia residuo tartaro quae actu calens in promptu sit iterum affundatur, agitetur et si paululum quieta semel per manicam hippocraticam ad reliquam percoletur: hicque processus tantisper reiterandus donec omne tartarum in dycrata ab aqua calida sit dissolutū consumptum et colo traiectum, nihilque nisi arena omni careat aciditate ac prorsus irresolubilis restitit, quod exinde etiam nomine tartarū arenosum. hoc processu habebis Tartarum

acidum

aridum verum et ut decet purum per manicam
hippocraticam colatum. In hac praeparatione autem
duo veniunt observanda: 1um ut Solutio fiat
aqua ferventissima, et quidem quantum possibile
celerrime percolatur. 2um Si colatoria ut liquor
non confestim sed guttatim tantum transeat
sint nimium obstructa, illa fervente aqua in
peculiari aliqua decocta a tartaro ac mucilagine
sunt liberanda ac mundificanda, pristinoque
labori quam diu iisdem indiguerimus accommo=
danda. Si itaque percolata aqua tartaro
impraegnata vere refrixerit, candidissimus cremor
non solum supernatabit verum etiam bona splen=
descentia materiae pars, congelata instar Nivis
in fundo residere videbitur: De hac praedictus
Cremor, ubi seorsim eundem colligere cuipiam pla=
ceat, primum separatur, Sin minus spatula
leviter remotus cremor cum materia in fundo
residente colligitur, dein aqua pura ab iisdem segre=
gata materia ~~ab~~ albicans colatorio lineo ut resi=
dua aqua guttatim transeat inditur, vel manibus
expressa super puro ac subtili linteo vel papyro
rarissime dispersa Sole vel fornacis calore
exsiccatur. - Praedictum purificatum ~~[illegible]~~
Tartarum super porphyrito vel in mortario mar=

Ex Angelo Sala.

merso tam diu ut subtilissimū ac candidissimū Cerusa instar cadat, contero: quod ad usum in vitris reconditum asservo, hancque exinde colligo utilitatem quod illud in omnibus calefactis liquorib⁹ Sacchari instar facillimè dissolvatur, nec ulteriori pulverisatione indigeat.

In Tractatu Tartarologia.

Antidotus Cordialis

℞. Corticum Citri virid. cond. contus. et per setaceum ~~transmiss~~ transmiss.

Gelatina Cydonior. ana ~~[illegible]~~ semilibram

Sacchar. albiss. lib. i.

Succi Borag. depurati lib. 2.

Succi Melissæ depurati lib. i.

Bulliant lentissimo igne in vase terreo vitreato semper agitando ad consistentiam Elect.

Deinde addantur Bezoardici corallini unc. i et $\frac{1}{2}$.

Essentia florum solarium sive Tinctura hyperic. in ~~[illegible]~~ semiunciam

Cinnam. elect. Ligni Aloes resinosi. Santali albi odorif. Seminis Citri excort. ana ~~[illegible]~~ drach. 3.

Olei seminis Angelicæ gran. 10. Misceantur

et in vase

et in vase vitreo ad usum serventur.
Haec Antidotus est excellentissima et specifica pro corroboratione Cordis, refectione Spirituum, et resistentia vaporum malignorum contra Sanguinis et Bilis ebullitionem. Hinc igitur est efficax praesidium contra pestem, et in specie pro illis qui sunt timidi, debiles, et melancholici: Dosis matutino tempore scrupulus unus vel semi uncia, quotidie continuando quandiu durat infectio.

Bezoardicum Corallinum.

quod Antidotum ingreditur hoc modo praeparatur. ℞ recipe sex uncias Coralli rubri praeparati hoc est triti subtilissime in Marmore cum Aqua rosacea quod Pharmacopaeis in usu est: Mittatur in Cucurbitam vitream, affundantur mensura sua ~~Cit~~ Succi Citri clarificati, ubi mox ebullire et spumam elevare incipiet, idque continuetur per horas 24 absque igne: Postea dictum vitrum ponatur in balneum digestorium tandiu donec spiritus acidi succi Citri, Coralli substantiam penetraverint, eandem in pulverem album permutando; liquore claro reddito sine ebullitione ulteriore, qui saporem insipidum et acrimoniam suam perdiderit. Tunc igitur vitrum eximatur

Ex Angelo Sala.

ex Balneo, et liquor per inclinationem a Corallis separitur et abijciatur, remanentia bis terve aqua simplici lavatur, postea in sole vel aliter siccetur: Et habebis pulverem album levissimum et subtilissimum, in quo nulla acrimonia sed levis tantum adstrictio, quamvis non negari potest quin acidi spiritus ~~Aceti~~ Citri eidem adhæreant, quod inde patet quia primum pulvis iste maiorem efficaciam habet in corde roborando et corruptioni resistendo quam simplex Corallium in corpus adsumptum sicuti in alijs potionibus cordialibus fieri solet: et deinde quia permixtus ille pulvis cum electuario fermentationem producit, quod non fieri potest nisi per spiritus succi Citri inclusos; quod optime notandum, sicut etiam differentia proprietatum quas acidi liquores possident, cum succus Citri sicut diximus Corallia præcipitet in pulverem; Acetum vero dissolvat eadem in liquorem transparentem quod etiã in Margaritis præstat: Hinc possumus dicere quod succus Citri plurimum cum natura spiritus sulphuris et vitrioli conveniat qui etiam Corallia, Margaritas, oculos Cancri et similia

similia in pulverem præcipitant sicut etiam facit succus citri: contra spiritus nitri eas istas in liquorem dissolvit, quemadmodum quoque de aceto diximus: hoc obiter dicere volui in gratiam illorum qui arte chymica delectantur et opera Naturæ diligenter contemplantur.

Tinctura Florum Solarium

Per tincturam florum solarium intelligo extractū vel essentiam summitatum hypericonis florentiū quæ planta vere solaris est propter proprietates incredibiles quas obtinet in dissipandis vaporibus saturninis vel melancholicis in corpore, nec non quod admodum confortet sicut frequenter experientia edocti sumus. Extractum istud fit hoc modo, recipe summitates bene florentes herbæ hypericonis quæ declinante luna colligantur summo mane ante solis ortum, postea minutim incisæ in aquam vitæ rectificatam immittantur eo usque donec optime imbibantur, quo facto in balneo Mariæ, clauso vase ne spiritus vini exhalet, per triduum macerentur: postea infusio exprimatur, quæ in balneo distilletur eo usque donec aqua vitæ separata sit, et in fundo spissa substantia remaneat instar mellis obscure rubri quæ est tinctura hypericonis quam ad præcedentem anti=dotum addimus.

Ex Angelo Sala.

Bezoardicū vitriolatum.

Cum oleum vitrioli tanta sit efficaciæ contra pestem maximéque conueniens pro ijs quibus res angusta domi, quique non multum pro medicamentis expendere possunt qui tamen nihilominus curiosi diligentésque sunt in conseruanda sanitate quantum fieri potest: considerando quod sit ille liquor talis cuius translatio facilè fieri non possit, medium inueni quo eiusmodi oleum in corpus aridum siccum sine alteratione vel perditione virtutis suæ parari possit, quod quis secum portare queat absque vitro in pura pixide vel charta instar terræ sigillatæ vel boli armeni, quod fit hoc modo, Recipe Cornu Cerui usti calcinati albi quantum placet, puluerisetur et in Catino vitreo vel porcellana misceatur cum oleo vitrioli rectificato, peditentim humectando, et cum pistillo vitreo paruo vel spatula argentea deaurata benè miscendo donec fiat pasta ex qua protinus rotulæ formentur vel tabulæ sicut in terra sigillata: postea siccentur a seipsis quod fit in breui tempore ob ariditatem Cornu Cerui calcinati, quod statim

liquorem

liquorem vitrioli attrahit, ut siccentur quo pulverisari queant: Quo facto tabula ista in pixide quadam servantur. Et ita compositionem siccam habebitis non solum commodatissimam ut eandem secum quis portet, sed etiã maximè bezoardicum et corruptioni resistentem: Si quis usurpare cupiatur pro Antidoto, pauxillũ radatur cum cultello pisi instar ad 5 vel 6 grana pro dosi, plus minus iuxta robur personarum, et quatenus eadem sunt magis minusve sensibiles semper dosis minor esse debet: idque sumatur manè ieiuno stomacho in cochleari vini, cerevisia, vel aqua clara tempore aestatis, aut in casu necessitatis in defectu aliorum, continueturq; remediũ hoc toto isto tempore quo pestis et aliĩ morbi epidemici grassantur, contra quos medicamentum hoc singulare et utile est.

Author loquens de suffumigiis tempore pestis haec dicit

De Sulphure

Hinc inter omnes res naturales nulla hic est supra sulphur naturale, quod ignis instar actualiter omnem humiditatem consumentis, potentissimè omnem corruptionem et venenum altevat, et sicuti liquor ipsius omnes aquas viscosas putridas,

ipsumque vinum turbatum atq[ue] corruptū puri=
ficat, vicissim clarificando, sic etiam vapor atque
spiritus eius fumans in accensione praecipitat
et abigit omnem aëris corruptionem, et eundem
clarificando, purificando, nec non de eodem omnem
noxam abigendo; quam ob causam usus eius
merito magnificus, qui propter calorem minimè
damnatur eo usque ut ipsa quoque flamma ignis
inter ea quae aëris infectionem corrigunt a nobis
primo loco ponatur: Adde simul quod etiamsi
Sulphur sit calidum in sua integritate, resina
modo ardens; non tamen affirmari possit quod
spiritus eius vel vapor iste acidus qui ab eodē
separatur et sese in aërem ardendo resolvit, qua=
litatis sit calidā: Ut enim cum omnibus Philo=
sophis et Medicis classicis confiteri debemus res
acidas frigidas esse per se vel ex accidenti; simul
id ipsum etiam de vapore Sulphuris pronuntiandū
erit, qui secundum artem vitreis instrumentis
collectus sese in liquorem coagulat, quē communiter
Oleum Sulphuris nominamus, cujus hodiè sicuti
notum est omnibus Medicis frequens usus est
in febribus calidis et ardentibus, tam ut humorū
putredini resistat quam ut excessum caloris febrilis
extinguat et sitim sedet: At verò dicimus quod
quemadmodum

Ex Angelo Sala

quemadmodum vinum optimum integritate sua permanens calefacit, idque in Acetum alteratū refrigerat, sic etiam id ipsum verum est de Sulphure, sua tamen graduum distinctione, iuxta naturam sibi convenientem. Cum autē plurimum tribuamus Aceto tam ad spiritus admodū incalescentes in lipothymiis alterandos, quàm etiam in deuehendis medicamentis confortantibus cordialibus, in corrigendis venenatis, et alijs usibus, eundem rursum etiam habemus tempore infectionis malignæ ad usum Spiritus Sulphuris, qui est verum Acetum Philosophorum, rex omniū liquorū acidorum, et verum Elixir quod res omnes a corruptione defendit.

In Tractatu de peste.

Sal vitrioli seu vomitorium vitriolatum.

℞. vitrioli ungarici caerulei et optimi, quantū=uis, fac calcinetur in crucibulo ad ignem rota donec in pulverem brunum seu obscure ~~brunum~~ purpureum abeat.

Si vitriolum calcinatum, praedictum colorem non adipiscatur, sed rubrum duntaxat instar Boli

Ex Angelo Sala

armeni permaneat, dum sal inde extrahere cupit purum et candidum, nihil accipit quam vitriolum eiusdem coloris formæ et saporis ut fuit antea: pariter si nimis calcinatum fuerit ad nigredinem puta vel spongiositatem adeo ut spiritibus acidis spoliatum prorsus fuerit, nec multum salis inde conficit, nec quod purget satis.

Vitriolum prædicto modo calcinatum ponatur in vase vitreo, superfundatur Aqua communis bona quantitas sensim tamen et sensim agitando, ne in fundo conglobetur, donec aqua affusa (quæ tamen calida evadit ac si calx viva superfusa fuisset) refrigeretur; alias vitro adhæsio fieret ut rumperetur: stent ita viginti quatuor horas, postea traijciantur per chartam emporeticam in patinā latam vitream, et fiat exhalatio super Ignem lentum furni minusculi ardentis, donec sal in fundo reperiatur siccum et coloris quodammodo incarnati qui tamen pulverisando in albedinem convertitur.

Hoc ipsum sal eodem modo extrahitur de capite mortuo ab olei vitrioli distillatione residuo Colchotar dicto: quoniam tamen operæ pretium non est ut quilibet qui sale vitrioli opus habet, olei ipsius distillationem ad manus sumat, prædictū processū

exactius

exactius proposui: vitriolum enim tanti precii non est ut quenquam magna cura ne perdatur aliquid ~~stu-dium~~ afficiat. Et ego Artista ad praedictū calcinandi modum melius observabis num satis calcinatum fuerit nec ne, quod in distillatione olei fieri minime potest.

Virtutes et proprietates Salis vitrioli.

